



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae**

**Schnorrenberg, Anno**

**Coloniae, 1740**

Tractatus Canonicus De Regulis Juris Pontificii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62040](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62040)



# TRACTATUS CANONICUS

D E

*Regulis Juris Pontificii.*



Regulam Juris appellamus, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. *L. 1. ff. de Reg. Jur.* Sive est sententiæ generalis, quæ de variis rebus eandem rationem habentibus diversis legibus vel Canonibus jus constitutum brevis Orationis complectitur & proponit compendio. Exempla sunt: Aliqui Canones remouent infames à beneficiis Ecclesiasticis, alii à Magistratu, alii ab officio Judicis, alii à munere Advocati, Notarii, &c.

Repellunt eosdem, quæ jura diversis Canonibus statuta paucis verbis *Reg. 87. de Reg. Jur. in 6.* comprehendit: *Infamibus porro non pateant Dignitatum.* Item aliæ leges fœmineum sexum ab officio Judicis, aliæ à tutela, aliæ à fidejubendo excludunt, quæ breviter in se una continet *Regula. 2. ff. de Reg. Jur. Fœmina ab omnibus officiis civilibus vel publicis remota sunt.* Porro Regulae Juris Canonici in Quinto Decretalium undecim, in Sexto octuaginta octo sunt, quarum brevem in præsentî Tractatu dabitur explicationem.

*R.D. Schnorrenberg in Reg. Jur.*

A D E-



DECRETALIUM LIB. V.  
REGULA I.

*Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.*

**C**oncordat Regula 35. ff. de reg. jur. Nihil tam naturale est, quam eo genere quidve dissolvere, quo colligatum est, ideo verborum obligatio verbis tollitur, nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur.

**Q**uæres primo. Quis hujus Regulae sensus?

¶ Omnis res omnisque obligatio temporalis, per quascunque causas contrahitur, per easdem & dissolvitur; hujusmodi enim obligationes temporales sive contractus Contrahentium constituuntur consensu, & dissensu dissolvuntur. Sic sponsalia mutuo consensu inveniuntur, & eodem rescinduntur. *Cap. præterea, 2. de sponsal.* Emptio & venditio paciscentium consensu perficitur, & tollitur ante traditionem, & post traditionem eorundem per redditionem mercis & pretii consensu. *L. prout. 80. ff. de solut.*

Quæres secundo. Quæ ad hanc Regulam exceptio?

¶ Regula non tenet in Spiritualibus: sic Sacramenta Baptismi & Ordinis semel suscepta, sicut non iterantur, sic non remittuntur. *Gloss. ad Reg. verb. omnis res.* Matrimonium carnale mutuo consensu contractum non dissolvitur: quia si consummatum, Christi cum Ecclesia, per carnis humanæ assumptionem, significat conjunctionem. *Cap. si debitum. 5. de bigam.* Si verò ratum, unionem inter DEUM & hominem justum per dilectionem repræsentat. Matrimonium quoque spirituale Episcopi cum Ecclesia consentientium non dissolvitur dissensu; dubitari enim non debet, quin Omnipotens DEUS spirituale conjugium, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, suo tantum judicio reservaverit dissolvendum. *Cap. inter corporalia. 2. de transl. Episcop.* Demum Regula in Religiosa habet exceptionem Professione.



C A S U S.

**A**chatius cum Caja jurata contraxit sponsalia, quæ interveniente postmodum personarum displicentiâ mutuo dissolvunt consensu. (A) Achatius quidem per verba de præsentibus ducit Semproniam, quam consummato matrimonio leprosam esse invenit, ad avertendam autem Achatii infectionem Semproniam consentit, ut eodem, quo matrimonium contractum erat, dissolveretur consensu. (B) Caja Titio simplici castitatis voto obstricto desponsatur, quia vi præsentis Regulæ ipsum voti obligationem à se excutere posse arbitratur. (C) Achatius dissoluto cum Semproniam matrimonio

Religionem ingressus profitetur. (D) Postmodum instructus à Confessario, quòd attentata matrimonii dissolutio nulla sit & invalida, facti pœnitens ad Sæculum redit. (E) Semproniam leprosam interim mortuam peregrinationem ad limina Apostolorum suscipiens domum cum agris & possessionibus sine custode & administratore relinquit, quæ proin tanquam derelicta Nepos ejus occupat, & velut propria possidet. (F) Romæ à summo Pontifice ad Episcopatum promotus, inclinata jam ad finem ætate pro satisfactione peccatorum strictiorem Cisterciensium Ordinem ingreditur. (G)

R E S O L U T I O.

(A) **A**chatius & Caja sponsalia de futuro, ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, licet mutuo dissolvunt consensu per Regulam *Cap. 2. de sponsal.* Nec obstat adjectum sponsalibus juramentum, cum illud in hoc passu contractui accessorium naturam sequatur principalis.

(B) Matrimonium validum est, quamvis Semproniam scienter cum lepra contrahendo gravem commiserit deceptionem, ideoque ex parte Achatii ad divortium agi valeat. *Cap. fin. de conjug. leprof.* Matrimonialis tamen vinculi in vim præsentis Regulæ absque effectu attentata fuit dissolutio.

(C) Similiter Caja Titio castitatis vo-

to obligato ineptè Regulam applicat; licet enim universis liberum sit arbitrium in votendo, usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine propriæ salutis dispendio alicui non liceat resilire. *Cap. licet. 6. de voto.*

(D) Quanquam Regula matrimonii non operetur dissolutionem, Achatius tamen validè professus est. *Arg. cap. ex parte. 9. cap. consuluit. 10. de convers. conjugat.* Cum in hoc casu Semproniam viro suo omnem, quam potuit, licentiam ad Religionem convolandam dedisse sit existimanda.

(E) Achatius propriâ autoritate monasterium deserere, & ad Sæculum redire nequibat, sed formam à Trident. *Sess. 25. de Regular. cap. 19.* contra Professionem




professionem reclamare volentibus præscriptam observare debebat. Nec Regula ei suffragatur, cum nec ipse, nec Religiosis Superior per vota factam DEO obligationem remittendi habeat facultatem.

(F) Si Achatius bona sua adhuc possidere poterat, ea sine custode & administratore quasi vacua deserendo, illorum amisit possessionem; hic enim subintrat *Regula cum Gloss. in eand. verb. omnis res.* Nam sicut acquiritur possessio animo & corpore. *L. possideri. 3. ff. de acquir. vel amitt. possess.* Ita quoque amittitur, si in ea utrumque in contrarium actum est. *L. quemadmodum. 8. ff. ibid.* dicitur: *Si possidere adhuc poterat: quia supposita*

Religiosæ Professionis validitate bona Achatii cum proprietate & possessione ad monasterium transierunt conformiter *Reg. 42. de Reg. Jur. in 6. Accessorium naturam sequi congruit principalis.*

(G) Episcoporum translatio, depositio & cessio soli Rom. Pontifici noscitur esse reservata. *Cap. inter corporalia. 2. de translat. Episcop.* Quamvis igitur Episcopus pennas habeat, quibus satagat in solitudinem Religiosam avolare, ita tamen strictæ sunt nexibus præceptorum, ut liberum non habeat absque Papali permissione volatum. *Cap. nisi cum pridem. 10. de renunt.*



## REGULA II.

*Facta, de quibus dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretamur.*

**Q**uæres primo. Quis hujus Regulæ sensus?

*R.* Quando actiones ita sunt indifferentes, ut bono vel malo animo aut intentione fieri valeant, & dubium, an animo bono vel malo factæ fuerint, eas in partem meliorem interpretari oportet, judicando scilicet, quod bono intentionis oculo sint exercitæ, conformiter monito Christi: *Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini. Matth. 7.*

Quæres secundo. Quæ hujus Regulæ ratio?

*R.* Lex charitatis dicitur, quemlibet innocentem & bonum habendum, donec malus esse probetur; cum enim homo naturâ suâ sit bonus, jus ad famam & bonam habet existimationem, donec criminis reus appareat, aut probetur.

Quæres tertio. Quæ à Regula exceptiones?

*R.* *1ma* est: Pro securitate sua res proprias quilibet ita custodire potest, ac si proximus malus esset, v. g. hominem peregrinum hospitio excepturus cistas obserandi libertatem habet, cum cautela hæc rerum propriarum amore, earumque



rúmque conservandarum studio adhibeatur, absque eo, quòd fur temere iudicetur excipiendus, aut de eo sinistra concipiatur opinio.

2da: quando exterior in se mala est operatio, eam pravo animo factam esse iudicare licet, quia in maleficiis animus

non præsumitur; quod enim scriptum est: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri, ut stuprum, blasphemia, furta, ebrietates & similia, de quibus nobis iudicare permittitur. *Cap. estote. 2. de reg. jur.*

### C A S U S.

**B**ertulphus Caupo Gallicus proles suas, quoribus Titia à majori & saniori communitatis parte pro saga habitadomum ejus ingreditur, occultè cruce signat. (A) Germano peregrino vinum promere recusat, eò quòd Nationem Teutonicam potationibus & ebrietatibus assuetam esse audiverit. (B) Servum & ancillam nunquam sine tertio collabora-

re permittit. (C) Quo servus offensus herum suum in juventute parum valuisse iudicat, cum modò sit tam suspiciosus. (D) Unde hero diu noctuque invigilat, quem tandem circa medium noctis ex horreo vicini maldero tritici onustum prodire conspicit, ideòque eum furem esse proclamat. (E)

### R E S O L U T I O.

(A) **C**onsensus sive sententia majoris & sanioris partis de communitate actum facit legitimum. *Cap. quia propter. 42. de elect.* Unde Bertulphus ob suspicionem magiæ in majorum & saniorum de communitate iudicio fundatam proles suas occultè per signum Crucis contra veneficium muniendo non peccat.

(B) Non quadrat hic Regula 80. *In toto partem non est dubium contineri.* Hæc enim de partibus, quæ ejusdem omnino sunt rationis, eandemque in omnibus participant naturam, intelligenda est, quamvis autem quilibet Germanus in Germanorum continetur Natione, attamen Germani, sicut & Galli, in mora-

libus differunt: de Natione Gallica fertur proverbium, quòd sicut Germani potui, sic illa sit addicta Veneri, sicut ergo ex hoc, quòd Natio Gallorum ad Venerem dicatur esse proclivis, vitiosè inferitur per distributionem, ergo & hic, & iste, & ille Gallus luxuriosus est, ita quoque ebriositas Nationi Teutonice adscripta de quolibet in particulari ineptè asseritur. Quapropter contra *Regulam* Bertulphus deliquit.

(C) Sicut Paterfamilias res suas ita custodire & recludere potest, ac si domus furibus plena foret, absque eo, quòd quenquam suorum furem esse iudicet, ita laudabiliter solitarias conventiones servum inter & ancillam prohibendo de




nullo eorum crimen præsumit, sed omnem, quæ fragilitati intervenire posset, levitatis occasionem præcavere studet, sicque Regula optimè sese conformat.

(D) Servus herum judicando contra Regulam impingit; non enim suspicione criminis commissi aut committendi eum herus ab ancilla separat, cum utrumque probum esse judicet, sed omne periculum, quod in liberiori conversatione etiam probissimo imminet, removere satagit. Nec ex hoc sequitur eum in juventute incontinentem, sed potiùs castum & temperantem fuisse, cum ex ju-

ventute præsumatur vita senectutis. *Cap. cum in juventute. 15. de præsumpt.*

(E) Servus quidem hero ex infundata criminis suspicione invigilando peccavit, veruntamen postquam eundem tempore nocturno ex horreo alieno triticum auferre vidit, violentam & certam furti suspensionem habebat, ex qua sententia sine peccato ferri poterat. *Arg. cap. litteris. 12. de præsumpt.* Quia autem crimen occultum erat, ipsum ut furem proclamando, gravem detractionem commisit.



## REGULA III.

*Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.*

**Q**Uæres primo. Quid est scandalum? *Re.* Est operatio, vel operationis omissio, quâ spiritualis ruinæ sive peccati proximo præberetur occasio. Dividitur in scandalum activum & passivum. Activum seu datum est externa actio, vel omissio minùs recta, ex se mala & prohibita, aut saltem mali præ se ferens speciem, proximo ruinæ spiritualis præbens occasionem, quod vel fit directè, ut si ex intentione alterum in peccatum inducendi scandalosâ exercetur operatio, ut quando quis proximum jussu, consilio, suasionem, litteris amatoris ad peccatum pellicit, & tunc non solum contra charitatem, sed etiam contra virtutem, quam scandalizatus offendit, de-

linquitur, ideòque in sacro Tribunali, in qua materia proximus fuerit scandalizatus, semper est exprimendum. Vel fit indirectè, absque intentione positiva in peccatum inducendi. V. g. Actio coram aliis exercetur, quæ ex natura sua peccandi ansam præbere potest, sic puella ex levitate immodestum gerens vestitum, quamvis alios in peccatum trahere non intendat, indirectum tamen committit scandalum, quia prævidet, vel prævidere potest, quòd proximus ex tali ornatu in peccatum facillè sit pertrahendus. Scandalum passivum sive acceptum est actio ex se bona, nec mali speciem habens, ex qua alius delinquendi sumit occasionem, ut si muliercula in Ecclesiis fre-



frequentius & attentius orat, ex quo aliqui eam sagam esse judicant. Scandalum hoc passivum vel est ex malitia alterius, & tunc Pharisaicum appellatur; quia Judæi in actionibus Christi & Apostolorum mali speciem non habentibus peccandi sumebant occasionem; vel est scandalum passivum ex fragilitate alterius, & tunc pusillorum dicitur scandalum, si nempe proximus ex opere bono vel indifferente spiritualis ruinæ ansam accipiat ob fragilitatem vel ignorantiam, eò quòd illicitum aliquid existimet, quod nullo reperitur jure prohibitum.

Quæres secundo. Quis hujus Regulæ sensus?

R. Scandalum passivum potius permittendum, quàm actione peccaminosâ vitæ honestas & integritas destruenda vel minuenda, vel brevius & clariùs: nunquam peccare licet ad vitandum aliorum scandalum.

Quæres tertio. Quæ veritas ob scandalum non est deferenda?

R. Cum Gloss. in hanc Reg. verb. Veritas. Veritas triplex est: Veritas justitiæ, sive æquitas Judicis in bonis præmiandis, & malis puniendis. Veritas vitæ, sive rectitudo conscientiæ. Veritas disciplinæ, seu cura Prælati aut Superioris, ut à subditis omnia debito ordine & modo præstentur, & immorigeri corrigantur. Addere possumus quartam: Veritas doctrinæ, vel cum sacra Theologia doctrinæ conformitas. Veritas vitæ vel conscientie nunquam est deferenda; nunquã enim faciendâ sunt mala, ut eveniant bona, vel mala majora evitentur. Veritas disciplinæ quandoque propter scan-

dalum licet deferitur, dum Prælati disciplina rigorem temperat aut remittit, quia subditi magis exacerbantur, & deteriora timeantur. Veritas quoque justitiæ quandoque in pœnæ mitigatione aut condonatione absque peccato remittitur. Demum Veritas doctrinæ quandoque prudenter celatur, dum Concionator vel Catechista doctrinam illam non proponit, quæ pusillis & infirmis peccata dare potest occasionem.

Quæres quarto. An ergo nunquam licitum est scandalum?

R. Sub distinctione: Scandalum activum, quo proximus vel expressè, jussu, aut consilio, vel tacitè actionis peccaminosæ coram illo exercitæ pravo exemplo ad peccandum inducitur, nunquam licet, quod satis indicant verba Domini. *Matth. 18. Va homini, per quem scandalum venit.* Ratio est: quia proximum in malum maximum, æternæ videlicet salutis periculum vel peccatum inducere Christianæ charitati non repugnare non potest. 2do. Scandalum passivum non solum Pharisaicum, sed etiam pusillorum potius permittendum est, quàm actio, quæ nec mala est, nec mali præfert speciem, omittenda, si eam non omitti vel propria vel aliena poscat necessitas; sic Pastor in Concione justè in peccatores invehitur, quamvis paucos ex invectiva non emendandos, sed exasperandos prævideat. Ita etiam licet cooperari proximi peccato materialiter solum exhibendo objectum, aut ministrando materiam, ut petere mutuum, quod mutuans sine usuris non est daturus, suscipere Sacramentum ab illo, qui id ipsum sacrilegè

mi.



ministrabit, dummodò hæ concurrant conditiones: *1ma.* Si actus cooperationis in se moraliter bonus sit, aut indifferens. *2da.* Si non fiat ex intentione ad peccatum alliciendi. *3tia.* Si cooperans peccatum, ad quod materialiter concurrat, ex officio impedire non teneatur, & adsit causa necessitatis vel utilitatis, ob quam peccatum proximi permittitur, & non impeditur.

*3tio.* Ad cavendum scandalum passivum actio ex se bona & indifferens est omittenda, quando nec aliena, nec

propria illam exigit necessitas. Ratio est: quia cum in tali casu spirituale proximi detrimentum sine incommodo nostro impedire possimus, ad id ex charitatis lege tenemur; quemadmodum si per omissionem actionis aliàs licitæ & honestæ absque ullo damno meo fratris spirituales ruinam, quam per accidens eidem obventuram prævideo, avertere possem, procul dubio ad omissionem hujusmodi actionis ex præcepto charitatis obligarer.

## C A S U S.

**C**ristophorus Cœnobii Virginum Nobilium Abbas relaxatam in eo clausuram introducere studet, sed Monialium & Nobilium Consanguineorum pro libertate, ut ajunt, suarum filiarum decertantium graves oppositiones & tumultus pertimescit, idcirco bonæ suæ intentionis in aliud tempus differt executionem. (A) Dum igitur tempus commodum expectat, Caja filia nobilis in eodem monasterio debite admissa ex joco habitum induit, quem postea usque ad tempus professionis Christophoro Abbate sciente & tolerante serio portat. (B) Mortuis autem duobus Monialium libertati maximè faventibus Nobilibus Abbas summo zelo ad clausuræ introdu-

ctionem accingitur, quo conterrita Titia Monialis ad Consanguineos in partes Hollandicas aufugit, quam Abbas reducere conatur. (C) Cum autem Clausuram jam introduci cœptam audiret, ad suum monasterium redire renuit, sed in aliud similiter non clausum transferri petiit. (D) Annuit Abbas, qui Clausuram jam perfecte introductam à juniore Moniali interrogatus, an & quale peccatum esset, indices bibere herbam Theæ, respondit, malum esse cum excessu hanc herbam bibere. (E) Postquam Theæ abusum per triennium dissimulasset Abbas, eum quadam die graviter pro futuro prohibuit, flentibus, & tanto fulmine penè enectis Monialibus. (F)

## R E S O L U T I O.

(A) **L**audabilis est Christophori pro Clausura introducenda zelus; est enim conformis *Trident. Sess. 25. de*

*Regular. cap. 10.* Ubi Sanctimonialium Superioribus sub obestatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis ater-



eternæ præcipitur, ut in omnibus monasteriis Clausuram Sacramentorum, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent, inobedientes atque contradictores per censuras Ecclesiasticas aliàsque penas, quæcunque appellatione postposita, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. Quapropter gravissimè peccant non tantùm Moniales, sed etiam quicumque earum Fautores, si optimæ Abbatis intentioni sese opponere præsumant. Ipsi autem Monialium parentes & consanguinei Nobiles tumultus & oppositiones ex solius Nobilitatis capite fontentes specialiter notent, quòd Trident. loc. cit. ipso facto excommunicet omnes Magistratus Sæculares auxilium Superioribus Ecclesiasticis pro Clausuræ reparatione denegantes, videant, an non ipsi in horum numero comprehendantur, eò quòd non tantùm auxilium negent, sed etiam arma Monialibus contra Superiores suos subministrant, & capita rebellionis existant. Ad evitanda autem majora mala per Regulam præsentis intellectum rectè disciplinæ æquitatem temperando Abbas ad tempus Clausuræ differt introductionem.

(B) Quamvis Novitii ad habitum receptio ad immediatum cujuslibet monasterii Prælatum pertineat, cap. ad Apostolicam. 1. 6. de Regular. cap. fin. eod. in 6. junct. gloss. in præsentem tamen congruenter Regula ab Abbate simpliciter Casus conniveri, eaq; in habitu taliter suscepto relinqui, & absoluto probationis anno ad

R. D. Schorrenberg in Reg. fur.

Professionem Religiosam admitti potest. (C) Justè post mortem Factorum Christophorus zelum resunit disciplinæ. Interim Titia fugitiva sine ulla dissimulatione reducenda, & secundum Ordinis sui statuta, quòd obedientiæ se subtraxerit, punienda est. Cap. non est vobis. 7. cap. ne Religiosi. fin. de Regular.

(D) Infirmitati Titia condescendi, & æquitas disciplinæ ita temperari potest, ut ad aliud monasterium non clausum translata, nec sibi, nec aliis Monialibus in Parthenone jam Clausuram iniuncto deinceps scandalum creet, aut inquietudinem. Arg. cit. cap. ne Religiosi. fin. de Regular.

(E) Per Regulam nostram prudenter respondit Abbas Moniali fortè magis ex curiositate, quàm veritatis amore interroganti; Monialium enim animus ex recenti Clausuræ introductione adhuc satius, nec ad quamvis perfectionis & disciplinæ particulam dispositus per enumerationem peccatorum, quæ in abusu herbarum Thee intercurrere solent, nec unâ die tolli possunt, magis percutiendus non erat.

(F) Postquam sacrata DEO Virgines per toleratam triennii spatio Clausuram ad majus perfectionis studium paulatim accensæ erant, bene ipsis veritas abusu, qui in quotidiano Theæ usu raro absunt, explicatur; fovet enim confabulationes, & silentii contemptum, otiositatem, æmulationes, superfluitates, & voti paupertatis transgressiones, præsertim in sexu fragili, muliebri huic potui plus, quàm vino & siceræ addito.



cto. Præcepto igitur iusto obediendum est. Verùm cum malum istud ubique ferè in Monialium Claustris fortiter ra-

dicaverit, Achilles erit Abbas ille, qui hoc totaliter eradicaverit.

## REGULA IV.

*Quod non est licitum in lege, necessitas licitum facit.*

**Q**uæres primo. Quid & quomplex est necessitas?

**R.** Necessitas est vis aut circumstantia, quæ ita actionem, vel ejus omissionem inducit, ut aliter fieri non possit. Necessitas alia est moralis, alia absoluta; hæc actionem vel omissionem illius ita inducit, ut aliter simpliciter, ad minus secundum cursum ordinarium fieri nequeat: moralis ita actionis exigit positionem, ut aliter absque difficultate poni non valeat, & quidem si absque vitæ periculo aliter fieri non possit, est necessitas extrema, si sine magno honoris, famæ, bonorum fortunæ, est necessitas gravis, si sine labore aut molestia communiter accidere solita, communis appellatur.

Quæres secundo. Quis hujus Regulæ sensus?

**R.** Urgente morali necessitate communiter licitæ & honestæ sunt actiones, aut omissiones, quæ lege positivâ, sive humanâ sive Divinâ prohibitæ existunt.

Quæres tertio. Quæ Regulæ ratio?

**R.** Omnis lex ad communem hominum salutem & prosperitatem ordinatur, & lex in tantum vim & rationem legis continet, secundum quod verò ab

hac ratione deficit, virtutem obligandi non habet; non est autem ad commune semper bonum, quod lex positiva cum magno subditos obliget detrimento; & inde oritur, quod necessitas legi non subjaceat, & quod non est licitum in lege, licitum faciat necessitas. Exemplum Regulæ est: Judæis præcepto Divino diem Sabbathi sanctificare incumberebat, & tamen Machabæi bello urgente sine culpa in Sabbatho pugnarunt, sic & hospie si quis jejunium frangit ægrotus, violati jejunii reus non habetur.

Quæres quarto. Quæ necessitas à lege excusat?

**R. 1mo.** Actionem quocunque jure jure & lege, sive naturali, sive Divinâ, sive humanâ prohibitam necessitas absoluta licitam facit. Colligitur ex cap. sacris, s. de his quæ vi, &c. Ratio est: quia prædicta necessitas voluntarium & liberum ad formalem peccati rationem requisitum non relinquit: sic cujus manus ad thus Idolo immolandum violenter excutitur, contra Legem Divinam non peccat: qui detentus in carcere Sacrum non audit, qui non habens copiam Confessarij, annuam omit-



tit Confessionem Ecclesie legem non violat.

2do. Actionem Jure naturali illicitam nulla necessitas moralis etiam extrema cohonestat; quia hoc Jure illicita intrinsece & essentialiter mala sunt, ideoque nullo casu bona vel honesta evadere possunt: sic nullum perjurium aut mendacium ex quacunque necessitate morali licitum fieri potest, *Can. mibi* 12. *can. si quis. 17. caus. 22. q. 2.*

3to. Actio sola lege positivâ, sive divinâ sive humanâ prohibita, aut præcepta per necessitatem moralem tam extremam, quam gravem communiter sit licita. Ita infirmus, vel inopiâ laborans carnes tempore interdicto sine culpa manducat. *Cap. consilium. 2. de observat. jejun.* Ratio est: quia quamvis Legislator maximè divinus ad legum suarum observantiam cum quovis fortunatum, famæ & vitæ periculo absolutè obligare valeat, attamen ordinariè humanæ sese accommodat fragilitati, & in tantum nostræ imbecillitati condescendit, ut obligare non velit cum manifesto vitæ periculo & notabili bonorum detrimento.

4to. Lex positiva etiam humana, non

obstante extremâ necessitate morali, in duobus casibus adhuc obligat: *1mus.* Quando bonum publicum etiam in extrema necessitatis articulo legis exigit observantiam, ita Confessarius sigillum Sacramentale etiam in extrema necessitate violare nequit. Parochus tempore pestis, ut propriæ vitæ consulat, oves deterere non potest. Miles ad evadendum periculum à statione recedere non debet. Ratio est: quia commune animarum, communitatis & exercitiis bonum, famæ, bonis fortunæ & vitæ hominis privati multum præponderare non dubitatur. *2dus.* Si transgressio legis positivæ in ipsius legis aut potestatis legislativæ contemptum, vel in fidei aut Religionis cedat detrimentum; in tali enim casu intrinsece mala, & jure naturali prohibita est legis transgressio, Jus quippe naturæ potestatem publicam & Religionem bono privato odit, verâtque postponi.

*3to.* Ab observantia legis positivæ communis non excusat necessitas; si enim ob eam legem transgredi liceret, vilesceret legis autoritas, & quilibet in quovis occurrente casu ex legem sese facere præsumeret.

## C A S U S.

**D**unstanus cum consanguinea sua in tertio gradu voti solvendi causâ ad sepulchrum Domini mari proficiscitur, in via autem tota navis à Navarcho Catholico Pyratibus Turcicis prodita traditur, (A) In servitute ergo Dunstanus constitutus indies carnes comedit (B) Consanguineam conceptivam gravi

mortis metu adactus uxorem ducit, (C) Prolem ex ea suscitatum, ne perversa à Turcis æternum periret, legitime baptizatam, de consensu matris aquis præfocat. (D) A Domino in civitatem missus, & à latronibus impetratus obvium Turcam ex equo dejecit, ejusque beneficio mortis periculum

B 2

evasis.



evalit. (E) Indies crudeliter vapulat, ut ad Sectam Mahometanam pertrahatur. (F) Miseriis tandem victus, herum de nocte jugulat. (G) Ablataque mul-

tâ pecuniâ cum uxore fugit. (H) In via ne pro Catholico agnitus retraheretur, iu omnibus Cæremoniis & actibus se Turcam esse simulavit. (I)

## RESOLUTIO.

(A) **Q**ui Turcis & Saracenis arma ad impugnandos Christianos aliaque necessaria subministrant, ipso facto excommunicati existunt. *Cap. quod olim. 12. de Juda. & Saracen.* Quâ pœna perfidum Navarchum nomine Christiano gloriantem, eo tamen ob sævam cupiditatem indignum perstringi non dubitamus; quantum enim Catholicæ fidei hostibus accresceret auxilium, si integras eis naves prodere impunè liceret?

(B) Per *Regulam* à præcepto jejunii liberatus est *Dunstanus*, cum non subiaceat legi necessitas. *Cap. consilium. 2. §. de festivitate. de observat. jejun.* Nisi carnes in fidei præcipiantur manducari contemptum; tuæ enim intrinsecè mala & Jure naturali verita est carniû comestio, cum honor Religionis bono privato, imò & vitæ ipsi sit præponendus.

(C) Si cum vero interno consensu, quantum ex parte sua poterat, contraxit, seu verba consensus sine animo consummandi protulit non peccavit. *Arg. cap. un. de desp. imp. in 6.* Ubi matrimonium inter impuberes contractum, licet irritum, nihilominus non reprobatur tanquam inhonestum & illicitum, atque ita per præsentem *Regulam* lex prohibens hujusmodi Matrimonia in casu metûs non obligat in conscientia ad non contrahendum; nihilominus Matrimonium est & manet invalidum, & ideo peccavit consummando, quia vis irritandi non enervatur per metum. Alioquin illum incutientes ex sua malitia reportarent lucrum, nec satis provideretur innocentibus seu metum passis; insu-

per illuderetur præceptis Ecclesiæ, quæ talem actum volunt esse nullius roboris.

(D) *Polem*, ne perverteretur, aquis præfocando gravissimè deliquit; non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona, neque nostro peccato alienæ salutis consulere debemus. *Can. faciat. 15. caus. 22. q. 2.*

(E) Per *Regulam* equum alienum rapere, eoque fugere poterat, extrema namque necessitas jus ad quæcunque vitæ propriæ conservandæ media & auxilia tribuebat. Extra periculum tamen constitutus equum, si valebat, domino restituere debebat.

(F) Non tantum cruciatus & verbera, sed & ipsam mortem perpeti potius *Dunstanus* tenebatur, quam fide Catholicâ ejuratâ Mahometanam perfidiam amplecti, plus est enim anima diligenda, quam corpus. *Arg. Can. si quis coactus. 3. caus. 22. q. 5.*


(G) Nisi vitæ propriæ tuendæ causâ, & cum moderamine inculpate tutelæ Dominum occiderit, homicidii reus est *Dunstanus* *Arg. cap. interfecisti. 3. de homicid.* ubi describitur pœnitentia latronem occidentis, cum aliter sese liberare possit.

(H) Per *Regulam* à furto, dum pecuniam secum sumpsit, excusatur, siquidem necessitas eam partim communem faciebat, partim quoque in mercedem præstiti servitii veniebat. (I)



(1) Simulatio illa externa est publica Sectæ Mahometanæ professio, & exterior à vera fide apostasia, quæ nullo casu, cum sit essentialiter mala, licere potest.

Colligitur ex cap. contra Christianos. 13. de heret. in 6. Ideoque & pœnas Apostatantium à fide incurrit.



# REGULA V.

*Quod latenter, aut per vim, aut aliàs illicitè introductum est, nullà debet stabilitate subsistere.*

**Q**UÆRES. Quis hujus Regulæ sensus est. Quod dolosè, & in occulto, per vim & metum, aut contra prohibitionem juris factum, si non est invalidum, est tamen infirmum. Ratio est: quia dolus, metus, clandestinitas, prohibitio legis in pœnam dispositiones aut contractus non faciunt ipso jure irritos, ita, ut vim, metum, vel dolum passus, si contractui stare velit, pars altera, quæ metum intulit, obligetur. Attamen similes dispositiones infirmæ sunt, & rescindibiles, nec juramento confirmabiles. Valent ergo, nisi juris dispositione ipso facto irritata reperiantur. Quorum exempla sunt: 1<sup>mo</sup>. Matrimonium clandestinum, aliter quam coram proprio unius contra-

hentium Parochò, aut ex ejus commissione coram Sacerdote, & duobus testibus contractum, ipso facto irritum est & invalidum. Trident. Sess. 24. de reform. matrim. cap. 1. 2<sup>do</sup>. Matrimonium mortis aut alterius gravis mali metu ad hoc injustè incusso extortum (idem est de spiritali sacrae Professionis matrimonio) ipso jure nullum est. Cap. cum locum. 14. cap. veniens. 15. de sponsal. 3<sup>tio</sup>. Alienatio rei Ecclesiasticæ immobilis, vel pretiosæ sine consensu Capituli celebrata est invalida. Cap. tua nuper. 8. de his, quæ fiunt à Prælat. Ec. 4<sup>to</sup>. Sponsalia ex dolo vel metu contracta (idem est de aliis contractibus) sunt quidem valida, sed infirma, & judiciariâ rescindibilia auctoritate.

## C A S U S.

**E**ulogius Ecclesiæ Cathedralis Decanus ad stipulante Imperatore in Episcopum à majore Capituli parte, Seniore & Præposito contradicentibus ele-

ctus. (A) Ditionis Capitularis Administratorem amovit. (B) Capitulo amotioni sese opponente, cum hac conditione Administratorem toleravit, si neptem



ejus in uxorem duceret. (C) Annuenti Administratori dixit: vade, & clam cum nepte mea conjungere, quo factum, ut Administrator coram Parocho & solo germano fratre contraheret. (D) Pro dono nuptiali *Eulogium* Administratori argenteam Ecclesie crucem, quam propter operis antiquitatem oderat, cum

hoc tamen onere dedit, ut Ecclesie aliam secundum novissimam formam parari curaret. (E) Administratoris filiam consanguineam suam, quia lusca erat, monasterium intrare compulit. (F) Valetudinarium Capituli seniore beneficium in favorem sui Sacellani sub annua pensione resignare coegit. (G)

## R E S O L U T I O.

(A) *Eulogium* à majori parte electum esse non sufficit, siquidem & major & sanior pars ad Episcoporum requiritur electionem. *Cap. quia propter. 42. de elect.* Majorem partem numerus, saniozem eligentium constituit auctoritas, hanc habent, qui alios dignitate, ætate & tempore præcedunt. *Cap. dudum. 22. de elect.* Unde ex hoc capite *Eulogii* non tenebat electio. Deinde dubium est, an electio non sit celebrata per abutium sæcularis potestatis; licet enim Imperatori *Eulogium* ad Episcopatum recomendare liceret, si tamen per se, vel per suos electioni interfuit, ut sic eligentes per propriam aut Legati sui præsentiam ad *Eulogium* eligendum cogeret, absque dubio electio facta est per abutium potestatis sæcularis, quæ proinde invalida, & *Eulogium* eidem consentiens ad dignitatem ineligibilis est. *Cap. quisquis. 43. de elect.* Quando autem electio per sæcularis potestatis abutium celebrari dicatur, pulchrè docet *Fagnan. in cit. cap. quisquis. n. 12. & seqq.*

(B) Etiam suppositâ electionis validitate, *Eulogium* nihilominus sine consensu Capituli Administratorem amovere ne-

quibat; Episcopus enim & Capitulares unum corpus suat, ita, ut iste caput, hæc membra existant, non decet autem caput omittis membris, aliorum consilio in sua Ecclesie negotiis uti. *Cap. novit. 4. cap. tua nuper. 8. de his, quæ sunt à Prælat.*

(C) Deficiente Capituli in amotionem Administratoris consensu *Eulogium* eum præfatæ conditionis onere gravare non poterat, quamvis conditio alioquin turpis non esset.

(D) Malè Administrator *Eulogium* intellexit, cujus verba, cum dubia sint, juxta *Regulam secundam* hæc in meliorem partem, seu pro valore matrimonii explicanda erant. Unde per *Regulam præsentem* & ordinationem *Trident. supra cit.* matrimonium invalidum est, & nullius roboris, cum substantialiter clandestinum esse non ignoretur.

(E) Rursus impegit contra *Regulam Eulogium* crucem auream propter antiquitatem non odibilem, sed venerabilem & pretiosam donando; Prælati enim omnis alienatio rei immobilis, aut mobilis pretiosæ, quæ, ut loquuntur Canonistæ, servando servari potest, interdicitur



terdicitur *cap. nulli. 5. cap. si quis Presbyterorum. 6. de reb. Eccles. alienand. ca. Apostolicos. 13. caus. 12. q. 2.* Nec relevat impositum Administratori onus novam reddendi crucem; est enim equidem alienatio, quam Episcopus non nisi consulto & consentiente facere potest Capitulo. *Cap. 1. de his, que sunt à Prælat.*

(F) Et hic offendit Regulam *Eulogius*, eum *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 18.* anathemati subjiciat eos, qui puellam, viduam aut quancunque mulie-

rem invitam ad ingrediendum monasterium, vel ad habitum suscipiendum cujuscunque Religionis, vel ad emittendam Professionem coegerint, quique consilium, auxilium vel favorem dederint, &c.

(G) Resignatio Canonici senioris in Sacellani Episcopalis favorem ex metu facta invalida est, & Canonieatus taliter resignatus repeti potest. *Cap. Abbas. 2. cap. ad audientiam. 4. de his, que vi metusve caus.*

## REGULA VI.

*In ipso cause initio non est à questionibus inchoandum.*

**Q**uæres primo. Quid in præsentî Regula nomine *questionis* intelligitur?

*R.* Juxta communioem hujus Regulæ interpretationem *Questio* denotat torturam, quæ ad eruendam veritatem atrocium criminum reis à judice criminali injungitur, & definiti potest: interrogatio de crimine commisso per tormenta ad eruendam veritatem à legitimo judice instituta.

Quæres secundo. Quis hujus Regulæ sensus?

*R.* Judicium criminale à rei tortura non est inchoandum. Ratio est: quia tortura pœna est, tortum infamat, notam civilem & indelebilem incurrit maculam, quod si attem judicium criminale à questionibus sive tortura inchoaretur,

plures innocentes pœnam & perpetuam paterentur infamiae notam, & calumniatorum panderetur ostium multitudini.

Quæres tertio. Quæ conditiones ad torturam requiruntur?

*R.* Sequentes: *1ma.* Quod veritas aliter haberi vel indagari nequeat, cum tortura causâ investigandæ veritatis, & in subsidium probationum, reum non convincentium, inferatur. Unde si reus plene convictus crimen inficietur, absque ulteriori tortura, quæ confessionem eliciat, condemnari potest.

*2da.* Crimen, ad cujus confessionem tortura infertur, atrox esse debet, cui imponenda mortis, vel alia corporis afflictiva pœna, quæ in communi æstimatione



matione temporaneâ solùm incarceratione vel relegatione gravior sit, multùmque ipsam torturam excedat; contra reum enim non convictum graviori pœnâ, quàm infligenda foret, si convictus esset, procedendum non est.

3<sup>ta</sup>. Reus torquendus persona juris privilegio à torturâ carnicina exempta esse non debet, ut sunt impuberes, furiosi, amentes, fœminæ prægnantes, personæ nobiles & illustres.

4<sup>ta</sup>. De corpore delicti constare oportet, quod semper requiritur, antequam ad specialem inquisitionem procedatur, ut dùm de homicidio inquiritur, iudicii notum esse debet, quòd in tali loco & tempore homicidium sit perpetratum, & ex hoc capite Iudices imperium mixtum, ut vocant, sive jus gladii habentes, occurrente violento mortis casu, eadaver interfecti priùs visitant & inspi-

ciunt, ut de corpore delicti constet in casu, quo quis postmodum de commisso homicidii scelere suspectus redderetur.

5<sup>ta</sup>. Indicia & argumenta, quibus reus Iudici prudenter redditur suspectus, torturam præcedere debent, & si torturam à Iudice impostam sustinuerit, ad alteram procedi nequit, nisi nova indicia & argumenta suspicionem augmentia emerlerint.

6<sup>ta</sup>. In tortura gradatim procedendum, & reus ad veritatis confessionem à Iudice inducendus est: 1<sup>mo</sup> verbis adhortatoriis. 2<sup>do</sup> torturæ comminatione. 3<sup>io</sup> tormentorum, quibus est torquendus, expositione. 4<sup>to</sup>. Si ista non proficiant, ad actualem torturam proceditur: cum ratio naturalis dicit mitiora remedia priùs esse tentanda, quàm ad severiora deveniatur.

## C A S U S.

**F**ormosus Iudex secularis Sempronium lucida intervalla habentem de Assassinii crimine diffamatum incarcerat. (A) Et alterâ die torturæ subjicit. (B) quam Sempronius nihil confitendo passus tertiâ die ad monasterium vicinum confugit, ex quo eum *Formosus* per vim extrahit. (C) Extractum asylo restitui jubet Episcopus, Formosum ob violatam Ecclesiæ immunitatem excommunicationi subjiciens. (D) Sempronium restitutum cum diutius in asylo hæere cederet,

fugam tentans à militibus ad hoc deputatis tenetur, & *Formoso* rursùm silitur, qui eum alterâ vice torqueri jubet. (E) Ubi cruciatibus victus Assasianum in actuali tortura confitetur, quod tamen extra ipsam negat. (F) Unde tertiò tortus rursùm in ipsa tortura, & simul extra eam, in conspectu tamen tormentorum crimen fatetur, & ad mortem condemnatur. (G)





## RESOLUTIO.

(A) Quia carceris squalor est contra naturalem æquitatem. *Gloss. in L. 1. C. qui bon. cedere poss.* Et species est servitutis, cum deroget libertati. *L. nihil. 2. ff. de homin. liber.* Ideo *Formosus* Sempronium non absque gravibus indiciis & quasi evidentibus capere & carceri includere poterat; Judici enim, antequam ad specialem procedat inquisitionem, de delicti infamia constare oportet. *Cap. cum oporteat. 19. cap. inquisitionis. 21. cap. qualiter & quando. 24. de accusat.* Nec sola sufficit infamia, sed clamorosa apud Judicem insinuatio præcedere debet. *Cit. cap. inquisitionis. cap. licet. Heli. 31. de simon.*

(B) Contra *Regulam* peccavit *Formosus*, absque prævio accusationis & inquisitionis processu semifatuum tortura subjiendo, siquidem ad tormenta criminoforum ita demùm venire oportet, cum suspectus est reus, & aliis argumentis ita probationi admoveatur, ut sola confessio criminofosi deesse videatur. *L. 1. ff. de quaestion.*

(C) Sempronius ad monasterium confugiens extrahendus non erat. *Can. reum. 9. caus. 17. 9. 4. cap. inter alia. 6. de immunitat. Eccles.* Nec in loco sacro existens per sententiam ad mortem aliamve pœnam corporalem condemnari poterat. *Can. id constituimus. 36. caus. 17. 9. 4.* Quare *Formosus* tum contra Sempronium, tum contra loci sacri immunitatem, reum vi extrahendo gravissimè deliquit.

*R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.*

(D) Justè res ad Episcopum delata fuit; dum enim dubium, an confugiens ad Ecclesiam crimen exceptum, quòd asylo non gaudeat, commiserit, observanda sunt sequentia: 1<sup>mo</sup>. Rector Ecclesiæ requisitus à Jure reum, ne elabatur, custodire, & negotium ad Episcopi tribunal deferre debet, à quo, an asylo fruatur, vel non, decidendum est. 2<sup>do</sup>. Judex Laicus, an delictum commissum immunitate gaudeat, nequaquam cognoscere potest. 3<sup>mo</sup>. Episcopus reum Curia seculari tradere nequit, nisi plenè constet, eum crimen exceptum perpetrâsse. 4<sup>to</sup>. Reus de crimine excepto convictus, Curia seculari non obstante appellatione ejusdem tradendus est. Benè ergo Episcopus Sempronium asylo restitui jubet. *Can. minor. 8. caus. 17. 9. 4.* Ex Regula generali, spoliatus ante omnia restituendus. *Cap. conquere. 7. de restitut. spoliat.* Præterea *Formosum* excommunicationem summo Pontifici reservatam ipso facto incurrisse constat ex decretis *Clement. VIII.* & *Pauli V.* hac in parte emanatis.

(E) Sempronium ex asylo liberè egressum potestas secularis comprehendere poterat, quæ tamen non emergentibus novis & fortioribus commissi *Assassanii* argumentis, eum alteri tortura subjiendo contra *Regulam* peccavit. *Gloss. in L. repeti posse. 16. ff. de quaestion. L. unius. 18. ff. ibid.*

(F) Confessio cruciatibus extorta, & in ipsa tortura facta non probat; nam ple-

C

rique



rique patientiâ , five duritiâ tormentorum ita tormenta contemnunt , ut exprimi eis veritas nullo modo possit , alii tantâ sunt impatienciâ , ut quodvis mentiri , quàm pati tormenta velint , ita fit , ut etiam vario modo fateantur , ut non tantùm se , verùm etiam alios commi-

nentur. *L. 1. §. questioni. ff. de question.*

(G) Iterùm Regulam *Formosus* offendit , ut enim rei probet confessio , cam non tantùm extra torturam , sed etiam locum & conspectum tormentorum , & quidem ex intervallo , ut libera censeatur , fieri oportet.

## REGULA VII.

*Quidquid sacratis DEO rebus & Episcopis injustè infertur , pro sacrilegio reputatur : quia sacra sunt , & à quoquam violari non debent.*

**Q**uæres primo. Quis hujus Regulae sensus?

**R.** Est sacrilegii descriptio , quod hoc modo definiri potest : Rei DEO sacræ violatio.

Quæres secundo. Quid nomine rei sacræ hic intelligitur ?

**R.** 1<sup>mo</sup>. Personæ per sacram ordinationem , Religiosi utriusque sexûs per vota Religionis , Novitii per Religionis ingressum , & ad Professionem tendentiam sunt DEO consecratæ , in has sacrilegium modis committitur sequentibus : 1<sup>mo</sup>. Violentâ manuum injectione. *Can. Si quis suadente. 29. caus. 17. q. 4.* 2<sup>do</sup>. Tractione ad forum sæculare , & jurisdictionis sæcularis in eisdem usurpatione. *Cap. nullus. 2. cap. si diligenti. 12. de foro compet. 3tio*. Impositione & exactione tributorum aut vectigalium. *Cap. non minus. 4. cap. adversus. 7. de immunit. Eccles. 4to*. Per actum fornicatio-

nis , aut aliam turpitudinem cum personis DEO consecratis exercitam. *Can. Virginibus. 14. caus. 27. q. 1.*

2<sup>do</sup>. Loca sacra sunt loca cultui Divino vel sacro dedicata , Ecclesiæ & oratoria ad Missæ sacrificium & Divini Officii celebrationem consecrata , vel benedicta , aut ad minus ad hunc finem ab Episcopo deputata. *Cap. cum Ecclesia. 5. cap. Ecclesia. 9. de immunit. Eccles.* Item monasteria & hospitalia Episcopali erecta autoritate. In his sacris locis sacrilegium admittitur : 1<sup>mo</sup>. In Ecclesia per illicitam seminis , & injustam sanguinis effusionem. 2<sup>do</sup>. Extractione hominis ad sacri loci asylum confugientis. 3<sup>tio</sup>. Exercitio jurisdictionis sæcularis , nundinarum , & profanarum in eisdem comœdiarum exhibitione. 4<sup>to</sup>. Violentâ effractione , spoliatione , incendio , &c. 3<sup>tio</sup>. In tertia classè sunt res sacræ , ut Sacramenta , sacræ Reliquiæ , Imagines Chri-



Christi & Sanctorum, vasa sacra ad cultum DEI benedicta vel consecrata, & demum bona temporalia sive mo- sive immobilia Ecclesiae, quorum invasione, injusta occupatione, ablatione, usurpatione sacrilegium perpetratur.

Adverte, Si bona temporalia ad Ec-

clesiam in tutum sint translata, ea surripens sacrilegio delinquit, non autem qui existenti in templo pileum aufert, aut pecuniam. Disparitas est: quia bona priora sub Ecclesiae sunt custodia, non autem pileus, aut in sacco collata ad templum pecunia.

### C A S U S.

**G**ustavus Ecclesiae Monialium Aedituus furem nocturnum res Ecclesiae auferentem ita in eadem percussit, ut post aliquot horas expiraverit. (A) Egestate pressus ex oblatis Ecclesiae decem Imperiales surripit. (B) Quod cum Novitia videret, ideoque eum increparet, ira incitatus ipsam pede contumeliosè calcat. (C) Hac de causa ab officio amotus Abbatissam apud Consulem civitatis, quod servum ejus ignominiosè tractasset, accusat. (D) Abbatissam ad tribunal Ecclesiasticum provocante, Gustavus statuat S. Petri, quam antea Ecclesiae

donarat, clam aufert. (E) Et de incendio monasterio cum focis conspirat. (F) Per amicorum tamen preces in gratiam & officium ab Abbatissa receptus cum Moniali libidinosè vivit. (G) Quam è monasterio occultè abductam ad partes Haereticorum fugiens in uxorem ducit. (H) Tandem per Judicem saecularem retractus ad mortem condemnatur, dumque poenitere nollet, exhibitam à Confessario Crucifixi Imaginem conspuit, & pedibus conculcat, inter tormenta exhalans. (I)

### R E S O L U T I O.

(A) Gustavus à reatu homicidii non excusatur. *Arg. cap. significasti. 18. de homicid. & immunitatem Ecclesiae violavit per Regulam. & cap. fin. de immunit. Eccles.*

(B) Rem Ecclesiae auferendo sacrilegium admisit, nec penuriae excusat necessitas.

(C) Novitiam pede calcando personale commisit sacrilegium, & incidit in poenam *Can. si quis suadente*. Licet enim Novitii propriè Religiosi non sint, sunt

tamen personae DEO consecratae, & in favorabilibus nomine Religiosorum veniunt, ideoque fori & Canonis gaudent privilegio. *Cap. Religioso. 21. §. quamvis. de sent. excom. in 6.*

(D) Quia Abbatissam ad forum saeculare trahere praesumit, sacrilegus est. *cap. decernimus. 2. cap. Clerici. 8. de judic.*

(E) Justè ad Ordinis sui tribunal provocat Abbatissa, cum judicio Laici absque peccato se submittere non possit; personae enim Ecclesiasticae non solum invitae, sed



etiam voluntariæ pacificæ nequeunt, ut sæcularia iudicia subeant, cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiari valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico sit publicè indultum, cui privatorum pacto derogari non potest. *Cap. si diligenti. 12. de foro compet.* Gustavus quoque statuar. Ecclesiæ semel donatam sine sacrilegii scelere ab Ecclesia removere nequit. *Can. sunt qui. 3. can. quisquis inventum. 21. caus. 17. q. 4.*

(F) Ob malitiosum & dolosum incendium incendiarius & omnes illi, qui consilium vel auxilium præstiterunt, in censa restituere, & tribus annis pœnitere debent, incendiarius insuper, si ante satisfactionem mortuus fuerit, sepulturâ Christianâ privatur. *Can. si quis membrorum. 31. can. pessimam. 32. caus. 23. q. 8.* Incendiarius locorum piorum ipso facto excommunicatus est. *Cap. manus. 19. de sent. excom.* Si ergo Gustavus conspirationem in actum redegit, præter sacrilegii noxam has pœnas incurrisset.


(G) Gravissimo sacrilegii scelere peccant Gustavus & Monialis, detestabilem libidinem exercendo; hinc notandum, quod ait Cyprianus relatus in *can. nec aliqua. 4. caus. 27. q. 1.* "Si superveniens  
"maritus sponsam suam jacentem cum  
"altero videat, nonne indignatur &  
"fremit, & per zeli dolorem fortassis  
"& gladium in manum sumit? Quid  
"Christus Dominus & Judex noster,  
"cum Virginem suam sibi dicatam & sanctitati suæ destinatam, jacere cum altero cernit, quàm indignatur & irascitur? Et quas pœnas incestis ejusmodi conjunctionibus comminatur." *In can. si quis Episcopus. 6. ibid.* Laicus, qui

cum muliere Deo sanctificata mœchatus fuerit, excommunicari jubetur.

(H) Monialis Apostata est, & ipso facto excommunicationis incurrit sententiam. *Cap. ut periculosa. 2. ne Cleri. vel Monach. in 6.* Deinde corporali apprehensione, censuris Ecclesiasticis aliisque mediis ad claustrum & Religionem redire cogenda est. *Cap. fin. de Regular.* Matrimonium quoque præsumptivè contractum omni caret roboris firmitate. *Cap. unic. de voto. in 6.*

(I) Gustavus & Monialis retracti graviter puniendi erant, hæc quidem pœnâ carceris, nam impudicæ detestabilesque personæ Monacharum, quæ abjecto proposito sanctitatis, illicita atque sacrilegâ contagione cum fornicatoribus se miscuerunt, & in abruptum conscientia desperatione perductæ, de illicitis complexibus filios procreaverint, à monasterii cœtu eliminandæ sunt, quatenus retrusæ in ergastulis tantum facinus lamentatione continuâ descentes purgatorio pœnitudinis igne decoqui possint. *Can. impudicas. 11. caus. 27. q. 1.* Gustavus autem & omnes, qui conscii & ministri hujusmodi criminis reperti & convicti fuerint, vel eos susceperint, vel quamcunque opem tulerint, sive masculi, sive feminae sint, cujuscunque conditionis, vel gradûs aut dignitatis capitali afficiendi sunt supplicio. *L. Raptures. 54. C. de Episcop. & Cleric.* Sacrilegè sacram Christi effigiem Gustavus tractat, & mirum non est, quod propter tanta & toties repetita ac multiplicata sacrilegiorum horrenda scelera justo DEI judicio delictus finali immerisus fuerit impotentia.





## REGULA VIII.

*Qui ex timore præceptum facit, aliter quàm debeat, facit, & ideo jam non facit. Est desumpta ex S. Augustin.*

**Q**uæres *primo*. Quotuplex est timor? *R.* Triplex est: Filialis, servilis & mundanus. Filialis patris timet offensam. Servilis verbera & pœnam à Domino metuit infligendam. Mundanus bona temporalia & mundi delicias, famam, vitam, &c. in quibus mundi amatores suam felicitatem ponunt, amittere perhorrescit. Timor filialis, quo DEI, summi & infiniti Boni, timetur offensa, in se bonus, & in charitate fundatus est, Servilis, quo pœna metuitur, etiam honestus est, si non plus metuitur pœna, quàm culpa, vel si pœna ad detestandam culpam causa solùm impulsiva, non autem finalis existat. Timor mundanus ma-

lus est, si plus bona mundi, quàm Deum amittere timeatur, & consequenter plus mundus; quàm DEUS ametur.

Quæres *secundo*. Quis hujus Regulæ sensus?

*R.* Qui actum præceptum ex timore mundano, aut merè servili facit, ita constitutus, ut pœnarum metus impletionis præcepti non sit solùm causa impulsiva, sed etiam finalis, cum voluntate virtuali peccandi, si pœnæ non essent, id aliter, quàm debeat, facit, & ideo jam non facit, quia præceptum cum peccaminoso implet affectu, unde sine ullo operis merito facere non ambigitur.

### C A S U S.

**H**autinus postquam studiosè quæsitam in Sæculo promotionem obtinere non potuisset, animum ad Religionem applicavit. Factus ergo Novitius in omnibus, quæ agebat, Superioribus exteriùs placere studebat, in obediendo erat promptissimus, præsertim Superiore spectante, pœnitentias, quas quandoque subibat, coram Prælato suo exemplariter peragebat, occultè tamen carnes, quas comedeat, furabatur. Post Pro-

fessionem studiis applicatus omnibus præcellere laborabat, hinc medias noctes contra regulæ & Superioris præcepta studiis impendebat, in quo deprehensus pœnam subire debuit, propter quam occultè semper coram sociis suis murmurabat, audiens eos, qui in potando vino temperantiores essent, faciliùs ac citiùs ad curam animarum emitti, in communi mensa rarè vinum bibit, ita, ut Prælatus ipse tantam admiraretur abstinentiam,

C 3 tiam,




tiam, cū interim clam vino & spiritu vini seu vino adusto sese ingurgitaret. Semel in familiari colloquio cum fœmina deprehensus graviter publicè correptus est, unde se jam omnem Prælati gratiam perdidisse clamabat, cūque se contabescere simularet, ad obedientiam

emissus est, foris liberior factus excessum commisit, ob quem ad claustrum revocatus omnem impendit conatum, ut priorem stationem recuperaret, quovis quatrinduo, nec nisi Priori confitetur, quo absente quandoque per mensē confessionem differt, &c. &c.

## RESOLUTIO.

**N**on est dubium, quin *Hautinus* pro sui exculpatione multa speculativè probantia afferre valeat argumenta, de casu tamen substrato practicè loquendo, dicendum videtur, valdè timendum, & probabilius judicandum esse, quod omnia, quæ in Religione peragit *Hautinus*, solo timore mundano & serviliter servili faciat, ne videlicet à promotione suo tempore excludatur, hæc enim omnium actionum causâ finalis esse apparet, hinc ad oculum obedit promptissimè, quamvis animi sensum prodat

murmurationis argumentum; cur à vino abstineat, sat indicat potatio, quæ fit coram infallibili oculo; nec ex motivo pœnitentiæ Priori soli, & quidem adeo frequenter confitetur, studium namque virtutis & sincera pœnitentia propter absentiam unius personæ non retardantur. Sibi igitur imponit, miseramque patitur servitutem *Hautinus*, ex timore enim facit præceptum, hinc aliter, quàm facere debeat, facit, & ideo jam non facit, ait Legislator Canonicorum Regularium S. Augustinus.



## REGULA IX.

*Defleat peccator, quia offendens in uno factus est omnium reus.*

**Q**uæres. Quis hujus Regulæ sensus? R. Dupliciter explicari solet: 1<sup>mo</sup>. Unum mortale committens peccatum amicitiam DEI quæque gratiam, merito, præmio cœlesti, & omni jure ad ea excidit, perinde ac qui omnia peccata admisit: quia gratia, meritum totumque jus ad

cælum quovis letifero peccato amittitur. 2<sup>do</sup>. Per unicam præcepti Divini voluntariam transgressionem legislativa DEI contemnitur authoritas, ita, ut transgressor sublato observantiæ legalis motivo jam ad omnium præceptorum transgressionem expeditus existat.

CA-



C A S U S.

**I**rmengardis Virgo per simplex castitatis votum DEO devota honestissime in Sæculo vivit, omnem virorum fugit affatum, orationibus & sacris meditationibus semper dedita: eleemosynas abundanter tribuit, pauperes & miserabiles personas quovis misericordiae opere pro posse sublevare studet, facta omnibus honestatis & virtutis exemplum. Huic innocenti Columbæ accipiter miles, ut dicebat, Capitaneus Borussicus insidiando circumvolabat, qui Hæreti-

cum se simulans apud P. P. Societatis JESU, sub quorum instructione & regimine *Irmengardis* degebat, ad fidem Catholicam converti petebat, quâ occasione in *Irmengardis* conversationem & familiaritatem venit, quâ demum crescente ab *Irmengarde* blanditiis victa non tantum mentæ, sed & thoricomes factus est, Capitaneo peractâ perfidiæ scenâ fugiente *Irmengardis* lapsum suum amaris lachrymis deflere cœpit.

R E S O L U T I O.

**I**rmengardis experta est, quàm sit periculosa fragili sexui cum viris, præsertim qui castra sequuntur, familiaritas. Juxta *Regulam* ergo defleat, quia offendens in uno facta est omnium rea, per unicum lethale scelus amicitiam DEI & gratiam, præteritorum quantumcunque bonorum operum merita & præmia turpiter perdidit, grande namque peccatum admisit. "Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nullâ ratione dissolvi, quantò magis ista pollicitatio, quam cum DEO pepigit, solvi sine vindicta non debet, nam si Apostolus illas, quæ à proposito viduitatis discesserant, dixit habere condemnationem, quia primam fidem irritam

"fecerunt, quantò magis virgines, quæ pactionis suæ fidem minimè servaverunt." *Can. hæc verò, 9. caus. 27. q. 1.* Quia verò DEO sacratarum feminarum corpora per votum propriæ sponsionis & verba Sacerdotis DEO consecrata esse templa, Scripturarum testimoniis comprobantur, ideo violatores earum sacrilegi, & juxta Apostolum filii perditionis esse noscuntur. *Can. sciendum est. 37. caus. 27. q. 1.* Seducitor ille portabit iniquitatem suam, *Irmengardis* autem per peccatum perdita, cum Magdalena flendo, recuperare poterit, semper memor ejus, quam dicit  
*Regula Veritatis.*



RE-





## REGULA X.

*Non potest esse iusta Pastoris excusatio, si lupus ovem comedit,  
& Pastor nescit. Est terribilis sententia S. Gregorii  
in Registro.*

**Q**Uæres primo. Quis hujus Regulæ sensus?

R. Prælati, & quilibet animarum gerens curam non excusatur, si illo nesciente aliquis subditorum æternum pereat; intellige, si Pastor competente careat scientiâ, aut mores suorum ignoret, non inquirendo, ut corrigat.

Quæres secundo. Quæ Regulæ ratio?

R. Quia Prælati Ecclesiarum, ac quivis alii Curati ad corrigendos subditorum excessus, morésque reformandos simul ac diligenter intendere debent, ne sanguis eorum de manibus suis requiratur juxta monitum *cap. irrefragabili. 13. de offic. Ordinar.* Ideo ignorantia, quòd

subditus pereat, crassa est & culpabilis, cum sit ejus, cujus notitiam ex officio habere debebat, & facillè habere poterat, cujusmodi ignorantia scientiæ comparatur; ea enim, quæ ex officio quis indagare tenetur, scire, & scire debere, & facillè scire posse paria reputantur. Curatores igitur animarum in tremendo iudicio de ovibus sibi commissis rationem reddituri, nullam apud districtum Judicem habebunt excusationem, nisi dicere valeant cum Apostolo *Act. 20. Mundum à sanguine omnium vestrum, non enim subterfugi, quò minus annuntiarem omne consilium DEI vobis.* Sed quis est hic, & laudabimus cum?

### C A S U S.

**K**ugulinus Diaconus Baronis territorialis sui Domini œconomus annum agens vigesimum quartum onerosum suscepit Pastoratum. (A) Antequam officium pastorale subiret, per quatuor vel quinque menses in studio Theologico, de quo aliàs parum audièrat, se præparavit. (B) Dum Parochiam adiit, in ea duos invenit Sacellanos, in quos onus

pastorale plurima ex parte divisit. (C) Ipse interim cum priore Domino maximo anni tempore mansit. (D) In absentia Sacellanoꝝ duo infantes sine Baptismi Sacramento mortui sunt. (E) Dum quâdam vice cum Domino suo luderet, vocatus ad infirmæ Parochianæ audientiam confessionem, se ludo absoluto statim venturum respondit, infirmâ interim

sine



sine pœnitentiâ defunctâ. (F) Parochianos immodestis saltibus & lusibus deditos corrigere neglexit, ex hoc principio: Der seinen Kopff wilt halten gang, der laß dem Bauren seinen Sang. (G) Rarò servavit catechesin, unde magna Parochianorum in rebus necessariis ignorantia. (H) Sacellani ejus à Parochianis, dum Sacramentum Extremæ Uctionis

ministrarent, pro labore capitellum quâlibet vice exegerunt, quod *Kugulinus*, quamvis improbare, tamen dissimulavit. (I) Nunquam infirmos post administrata Sacramenta visitavit. (K) Ad extrema deveniens cum à Confessario moneretur, se multa ignorâsse dicebat. (L)

## RESOLUTIO.

(A) Toleratur hodièdum, quòd Clerici Dominis sæcularibus temporale præstent obsequium. Etas non obstabat, quò minus Pastorum *Kugulinus* susciperet; non enim requiritur, ut qui Parochialem Ecclesiam in titulum accipit, actu sit Presbyter, sed sufficit, quòd initiatus primâ tonsurâ in statu sit, ut intra annum ad Sacerdotium promoveri possit. *Cap. si pro Clericis, 8. de præbend. in 6. cap. si is, 2. de institut. in 6.*

(B) Quia regimen animarum est ars artium. *Cap. cum sit, 14. de etat. & qualitat. Ac animæ sunt omnibus aliis pretiosiores. Can. præcipimus, 24. caus. 12, q. 1.* Ideo *cap. cum in cunctis, 7. de elect.* in iis, qui curæ animarum præficiendi sunt, competentem requirit scientiam, & hæc tantò major esse debet, quantò Parochia amplior est & onerosior. Unde *Kugulinus* intra memoratum temporis spatium sufficientem pro Pastorum scientiam, præsertim cum alias parùm studuerit, acquirere non potuit; quamvis corruptela ista hodiè inoleverit, ut, qui hæc viâ Parochias adipiscuntur, sufficere sibi putent, quòd per trimestre apud  
*R. D. Schnorrenberg in Reg. jur.*

Professorem Theologum Cursum Theologiæ raptim percurrant, tantùm curantes, ut examen synodale taliter qualiter evadant, quo factò de studio parùm deinceps cogitant, propter quam causam tam ineres simul & indocti non rarò dantur Pastores.

(C) Juxta *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 1. & Sess. 24. de reform. cap. 12.* Parochus ex præcepto Divino oves suas agnoscere, ac consequenter per semetipsum Pastorale officium exercere debet: Ideo *Kugulinus* illud in Sacellanos dividere non poterat, licèt ratione numerosæ plebis eos in partem sollicitudinis vocare, & minora tantùm per eos facere valeret.

(D) Peccavit contra præceptum de residendo, insinuatam à *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 1.* Pastor enim in sua Parochia, in domo propria, si sit, formaliter, & continuò residere tenetur. Hinc *Kugulinus*, etsi Domini domus intra limites Parochiæ existat, in domo Parochiali non habitando peccavit. Deinde non residit formaliter, sive cum effectu, officium pastorale exercendo,

D

mo-



moribus & actibus gregis invigilando, necessitatibus ejus succurrendo, &c. Demum nec resedit continuo, ut patet ex casu.

(E) Per *Regulam* gravissimè deliquit *Kugulinus*, de cujus manu animas infantium sine Baptismo defunctorum Dominus requiret; pastoralia enim, quæ per se ipsum exequi debebat, Sacellanis committendo, non tantum se peccatorum ab ipsis admissorum reum & complicem, sed & caput ac originem constituit.

(F) Enormiter quoque peccavit, voluptuarium ludum Parochianæ suæ salutis præponendo; sanè si medicus corporis ad ægrum vocatus sic respondens culpandus est; quanto majorem medicus animæ ex officio & justitia ad Sacramenta administranda obligatus, si ex negligentia sua ovis pereat, merebitur damnationem?

(G) Principium rusticum est, nec nisi ab indocto, & officium suum negligente Pastore allegatur. Parochus peccata suorum non corrigens, scandalum & ansam mortis præbet eis, quibus causa salutis esse debebat; deterius quippè in populis Prælati, ac quicumque animarum curam susceperunt, delinquunt, si perversa perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt, unde necesse est, ut tantò se cautius à culpa custodiant, quanto per prava, quæ faciunt, non soli moriuntur. *Can. præcipuè. 3. caus. 11. q. 3.* Peccantes ergo in saltu non corrigendo, aut similes saltus non tollendo, ipse peccare facit, & causa damnationis existit.

(H) Sacramenta gratis administran-

da sunt. *Cap. ad Apostolicam. 42. de simon.* Unde peccant Sacellani mercedem exigendo, gravius tamen *Kugulinus* eorum peccatum dissimulando, oblationes quidem spontaneè & liberè factas Pastor & quilibet Ecclesiæ Rector recipere potest. *Cap. cum inter. 29. de V. S.* Cogi tamen non possunt ad offerendum, ubi non est consuetudo.

(I) Pastor animarum debet esse discretus in silentio, utilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticeat; nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. *Can. sit Rector. 1. dist. 43.* Peccavit itaque *Kugulinus* populum suum non catechizando; qualiter enim Pastor prædicationis & instructionis munus obire debeat, docet & præcipit *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 4.* ibi: *Idem etiam (Episcopi) saltem Dominicis & aliis Festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga DEUM & parentes diligenter ab eis, ad quos spectat, doceri curabunt.*


(K) Non sufficit, quod Pastor infirmis ovibus suis Sacramenta necessaria obiter administret, easque quasi jam sanctus officio, nunquam aut raro deinceps invisat. Nonne lupus ovem etiam Sacramentis munitam, Pastoris autem assistentiâ, consilio, solatio, auxilio & precibus destitutam propriisque viribus relictam facillè comedit? An Pastori tunc excusatio? Pastor ergo infirmos suos sæpè visitare, in luctu extrema assistere, & omni modo eorum salutem, præsertim in periculoso mortis articulo invigilare

ten-



teneretur. Indigentes quoque subsidio temporali & alimentis adjuvare non gravetur juxta doctrinam *Can. nulli Episcoporum. 62. caus. 16. q. 1.* Demum ad exemplum Christi opportuno tempore animam suam pro ovibus, nisi mercenarius esse malit, exponere obligatur. *Can. suggestum. can. sciscitaris. 47. can. adversitas. 48. caus. 7. q. 1.*

(L) Non excusatur per verbum: *Nescio*; ignorantia enim ejus rei, cujus scientiam status & officium requirit, vincibilis est & crassa, ideoque scientiæ æquiparatur. *Cap. eos qui. 2. de tempor. ordinat.* Scire namque, & scire debere, ac scire posse paria sunt. *Cap. fin. §. si quis. de clandestin. desponsat.*



## REGULA XI.

*Indignum est, & à Romana Ecclesia consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.*

**Q**uæres primo. Quid est homagium? *¶* Homagium est quasi hominis ligium, per quod quis quasi homo vel servus fit alterius, sive est juramentum, quo homo se alteri ad præstandam obligat fidelitatem, uti explicat *Gloss. in Clement. 2. de sent. & re judicat.* Duplex est homagium, strictè & latè dictum, latè sumptum est juramentum fidelitatis, obedientiæ ac reverentiæ, quod Beneficiati in adeptione beneficii præstant Episcopo, cui tanquam proprio Prælato & Patri spirituali pro cura paterna & pastoralis sollicitudine fidelitas, reverentia & obedientia specialiter debetur. De hoc homagio intelligendus est textus in *cap. gravem. 15. de excess. Prælat.* Homagium strictè dictum est juramentum, quo alicui velut Domino territoriali subjectio & certæ operæ, vel temporalia spondentur obse-

quia. De homagio taliter accepto Regula præsens intelligitur.

*¶* Quæres 2do. Quis hujus Regulæ sensus? *¶* A Clerico pro collatione, nominatione aut præsentatione ad beneficium homagium strictè dictum minimè est exigendum. Ratio est: quia pro collatione rei spiritualis ad temporale sese obligare obsequium simoniacam involvit pravitatem. *Cap. cum essent. 12. cap. ex diligenti. 17. de simon.* Contra quam Regulam non peccant Beneficiati, qui in admissione ad beneficium jurant se præstituros obsequia, quæ suæ Ecclesiæ, Episcopo aut Capitulo de jure exhibere tenentur, cum ea, quæ sic insunt, in juramento absque labe simoniæ à recipiente spiritualia exprimi possint. *Cap. significasti. 4. de elect. junct. gloss. verb. conditione.* Ita Episcopi in consecratione sua jurant summo Pontifici, se Legatos Apostolicos honorificè



tractaturos, & in necessitatibus adju-  
ros, *Cap. Ego. 4. de iurejur.*

Quæres tertio. An valeat & obliget  
juramentum, quod Canonici in rece-  
ptione ad Canonicatus jurant Capitulo,  
se se Ecclesiæ statuta & consuetudines ser-  
vaturos, inter quas numerantur certæ pe-  
cuniæ cuiuslibet Capitularitum solvendæ,  
quas vocant jura statutorum, fructuum  
duobus vel quatuor primis añis carentiæ?

ꝛ. Juramentum illud obligare, qua-  
tenus statuta & consuetudines juri spe-  
ciali vel generali sunt conformes, qua-  
tenus verò sunt diffformes, cessat omnis  
juramenti obligatio. Innocent. XII. per  
specialem Constitutionem omnes has  
capitulationes juri communi diffformes  
sustulit, quam Constitutionem tamen  
Germani hæctenus non admiserunt,

## C A S U S.

**L**iberata Abbatissa Regularis mona-  
sterii sui Sacellano Parochiam con-  
tulit, exigens ab eo erga monasterium  
fidelitatis juramentum, & servitium spi-  
rituale in Missa quatuor primis anni festi-  
vitatibus cantanda præstandum. (A)  
Dicens sic moris esse, & tres in Parochia  
Antecessores ita practicasse. (B) Pastor  
nominatus cum onus præstare nollet,  
*Liberata* collationem revocat. (C) Cùm-  
que moneretur, ut Successori Principi,

à quo feudum tenebat, homagium di-  
ceret, id facere renuit, eò quod è mo-  
nasterio clauso exire non posset. (D)  
Unde Princeps caducitatem feudi pro-  
nuntiavit. (E) Ad placandum Principem  
Nobilis quidam se obtulit, modò Libe-  
rata puellam pauperem ad habitum Re-  
ligiosum admitteret. (F) Quam quidem  
admittere voluit, sed cum conditione,  
si saltem jocalia & consueta donaria dare  
posset. (G)

## R E S O L U T I O.

(A) **Q**uid Patrono Ecclesiæ debeatur,  
exprimitur in *cap. nobis. 25. de  
jure patron.* ubi dicitur, quòd pro fun-  
datione Ecclesiæ honor processionis fun-  
datori servetur, & si ad inopiam vergat,  
ab Ecclesia illi modestè succurratur.  
Contra *Regulam* ergo *Liberata* à Neo-  
Pastore fidelitatis juramentum exigat.  
Malè quoque spirituale obsequium in  
quatuor primariis Festivitatibus exhiberi  
postulat, primò namque in solemniori-  
bus anni Festis, quibus refici maximè,

& in Domino gaudere Pastoris præsen-  
tiâ oves debent, animarum curam ha-  
bentes à suis Ecclesiis abesse non possunt.  
*Trident. Sess. 23. de reform. cap. 1.* Dein-  
de hæc pactio simoniaca esse videtur, *Cap.  
non satis. 8. cap. audivimus. 41. de simon.*  
Et Ecclesiastica beneficia sine diminutio-  
ne conferenda sunt, *Cap. unic. ut Eccle-  
siast. benef. sine diminut. Sc.* Demùm  
Patronus nil à præsentato præter id, quod  
in fundatione est impositum, exigere  
potest. *Cap. sicut nobis. 2. de supplend*  
ne -



*negligent. Pralat. cap. præterea. 23. de jurepatron.*

(B) Non sufficit, quòd Prædecessores actus à lege alienos exercendo corruptelam fecerint, cùm consuetudinem legitimam nunquam introducere potuerint, siquidem consuetudini, quæ Ecclesiis gravamen inducit, jus positivè resistit, easque tolli præcipit. *Cap. 1. de consuetud.* Ecclesiam autem Parochialem per præsentam consuetudinem gravari, ipsùmque beneficium cum diminutione conferri manifestum est.

(C) Patrono quidem Laico variare, hoc est, præsentato uno alterum addere potest, & tunc Episcopo instituenti unum ex præsentatis eligere licet. *Cap. cum autem. 24. de jurepatron.* Clerico autem à Patrono Ecclesiastico præsentato statim jus ad institutionem acquiritur, cùm inter præsentatos ab eodem, qui prior est tempore, potior sit jure. *cit. cap. cum autem.* Hinc patet *Liberatam* jus per præsentationem Pastori quæsitum revocare non posse per impatientem præsentationis revocationem.

(D) Homagium in feudali investitura præstandum *Regula* nostra non comprehendit. Qualiter autem à Monialium Præfecta id practicandum, exprimit *cap. periculoso. unic. §. verum. de Stat. Regular.* his verbis: "Quando Abbatissa vel Priorissa cujusvis monasterii pro feudo, quod monasterium ipsum tenet ab aliquo Principe, seu Domino temporali, sibi debebit homagium vel fidelitatis sacramentum præstare (nisi quòd per procuratorem illud præstet, possit efficere apud eum) de monasterio cum honesta

"& decenti societate exire poterit eo casu licenter, homagio factò, quamprimùm poterit, ad ipsum monasterium è vestigio revertura."

(E) Quia delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. *Reg. 76. de Reg. Jur. in 6.* Monasterium innocens feudo privari non potest, nec Dominus directus feudo manum applicandi habet potestatem. *Arg. can. si Episcopum. 3. caus. 16. q. 6.*

(F) Simonia est, pro Religionis ingressu aliquid temporale dare vel recipere. *Cap. non satis. 8. cap. de Regularibus. 25. cap. quoniam. 40. de simon.* Hinc Nobilis operam suam in reconciliatione Principis impendendam tanquam pretium pro admissione offerre nequibat. Si tamen puella ad Statum Religiosum vocata ardentè & constanter in monasterium recipi petebat, & propter solam paupertatem repellebatur, Nobilis, practicè loquendo, peccasse non videtur, cùm potiùs injustam vexam redimere, quàm pretium pro ingressu offerre voluisse censeatur, eò quòd monasterium fundatum Novitios gratis & sine dote recipere teneatur.

(G) Juxta *Extrav. sanè. 1. de simon. inter com.* Superioribus Regularium sub pœna excommunicationis ipso factò incurrendæ ac summo Pontifici reservatæ inhibetur, ne tam à maribus, quàm à mulieribus Religionem eorum ingredientibus quoscunque pastus, prandia & cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda, directè vel indirectè petere



vel exigere quoquo modo præsumant. Quamvis verò saluberrimam hanc Pontificis Sanctionem in hisce partibus cum suo rigore receptam esse negetur, nihilominus verum manet, quòd, ut loquitur *Constitutio*, hujusmodi prandiorum & jocalium consuetudo sit detestabilis, & à Canonibus reprobata abusus, quâ decori Ecclesiastico & immaculatæ Reli-

gioni detrahatur. Quàm plures etiam tam execratione hujusmodi criminis, quàm expensarum onere à sacre Religionis proposito retrahuntur, ipsaque Ecclesiæ, monasteria, & loca Famulantium DEO consuetis numeris remanent destituta, & in multorum mentibus Fidelium scandalum generatur.



## REGULÆ JURIS EX LIBRO SEXTO DECRETALIUM.

### R E G U L A I.

*Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Institutione  
Canonica obtineri.*

**Q**uæres primo. Quid est beneficium Ecclesiasticum?

ꝛ. Est jus perpetuum percipiendi fructus seu redditus temporales ratione officii spiritualis, autoritate Ecclesiasticâ institutum, ut Episcopatus, Decanatus, Canonicatus, Parochia, Vicaria, &c.

Quæres secundo. Quid est Canonica Institutio?

ꝛ. Institutio est jurisdictionis Eccle-

siasticæ actus, quo alicui beneficium in perpetuum confertur titulum. Hic actus, si omnia à Canonibus ad ejus substantiam habeat requisita, Canonica appellatur Institutio.

Quæres tertio. Quotuplex est Institutio?

ꝛ. Triplex: Authorisabilis, tituli collativa, & corporalis. Institutio authorisabilis est jurisdictionis Ecclesiasticæ actus, quo Episcopus vel Ordinarius præ-



praesentato vel nominato ad beneficium parochiale dat curam animarum, vel animas in foro interno dirigendi jurisdictionem. Institutio tituli collativa est actus jurisdictionis Ecclesiasticae, quo Superior Ecclesiasticus alicui confert beneficii titulum, ut electionis confirmatio, postulationis admissio, Apostolica provisio, Praelati Ecclesiastici vel libera, vel ad alterius praesentationem aut nominationem facta collatio. Institutio corporalis vel investitura est in actualem possessionem inductio, qua Beneficiarius beneficii actualem nanciscitur administrationem, & fit per Altaris contactum, clavium traditionem, stalli & loci in choro & Capitulo occupationem, &c.

Quaeres quarto. Quae conditiones ad Canonicam requiruntur Institutionem?

R. Quatuor. 1ma. Ut instituens habeat jus, seu instituendi potestatem, eamque vinculo excommunicationis, vel suspensionis ab officio non impeditam. Ex hoc capite non est Institutio Canonica, a Laico sine speciali privilegio Apostolico facta. 2da. Ut instituendus sit capax institutionis; hanc ob causam, si in beneficio Laicus, conjugatus, debitam aetatem, aliove jure requisitum non habens, instituatur, non est Canonica Institutio. Cap. in Ecclesia. 2. de institut. cap. 1. & 2. de Cleric. conjugat. cap. se eo tempore. 9. de rescript. in 6. 3tia. Ut beneficium vacet; quia nullus in bene-

ficiu[m] viventis non amissum nec dimissum de jure institui potest. Cap. nulla. 2. de concess. praebend. 4ta. Ut modus & forma a jure praescripta observetur.

Quaeres quinto. Quis hujus Regulae sensus?

R. Beneficium Ecclesiasticum licite obtineri nequit, nisi actu vacans ab habente potestatem Clerico ejus capaci forma a jure praescripta cum debitis solemnitatibus conferatur. Hinc beneficium nec per cessionem, nec permutationem privata auctoritate factam. Cap. admonet. 4. de renunt. cap. quassitum. 5. de rer. permutat. Nec per transactionem acquiri potest. Cap. constitutus. 4. cap. super eo. 7. de transact. cap. fin. de pact.

Quaeres sexto. Quae ab hac Regulae exceptiones?

R. Duae: 1ma. Beneficium nullam reservationem affectum, & cum titulo colorato per triennium pacifice possessum juxta Regulam Cancellariae 33. praescribitur. 2da. Beneficium obtentum ab eo, qui communi errore ejus verus putabatur collator vel institutor, retineri potest, quia propter utilitatem publicam communi interveniente errore, sicut Respub. saecularis, jurisdictionis supplet defectum. L. Barbarius. 3. ff. de offic. Praetor. Ita etiam Ecclesia, si error communis titulusque coloratus fuerit, defectum spiritualis supplet jurisdictionis.





## C A S U S.

**M**aternus postquam à Marchione Pastores suos instituendi privilegium prætendente in Parochia institutus, sed Episcopali autoritate destitutus esset. (A) Canonico valetudinario Nepoti suo persuasit, ut Canonicatum in sui favorem resignaret. (B) Sed opponente se Capitulo Canonicatus taliter resignati possessionem nancisci non potuit. (C) Interim personatum familiarem avunculi sui adhuc quidem viventis, sed animam ægrè trahentis, & jam penè in extremis constituti invadit, ejusque possessionem capit, ut sic Nepotem suum,

cum quo de præcedentia litigabat, excluderet. (D) A Personatu quoque dejectus, cum omnia sibi adversari videret, Religionem ingressus ab Abbate majori licet Capituli parte contradicente ad Professionem admittus est. (E) Defuncto Abbate à majori eligentium numero *Maternus* Abbas eligitur. (F) Et ab Ordinis Generali inter appellantes ad futurum Concilium adscripto confirmatur. (G) Lapso quinquennio quidam ex Religiosis in Maternum insurgunt, ejusque electionem infirmare nituntur. (H)

## R E S O L U T I O.

(A) **P**atronus Clericum in Ecclesia patronata, Episcopi autoritate neglectâ, instituere nequit, & taliter instituens excommunicari, Clericus vero institutus deponi jubetur in *cap. præerea. 4. de iure patron.* Licet autem institutio hoc modo attentata omnino sit invalida, patronus tamen pœnitentiâ ductus, alium ad Ecclesiam Rectorem præsentare potest, quem Episcopus instituere debet. *Cap. cum Laici. 10. de iure patron.* Privilegium, quod Marchio præterdit, produci, ejusque tenore inspecto judicari oportet. *Cap. porrò. 7. de privileg.*

(B) Rursus peccavit contra *Regulam*, si renuntiatio in favorem coram Ordinario facta fuerit; hæc enim coram solo summo Pontifice instituenda est, coram

alio inferiore facta illicita est & invalida, imò si pactum de non conferendo alteri, quam designato intervenit, simoniacâ labe resperia est, cum in beneficialibus & spiritualibus omnis pactio omnisque conventio debeat omnino cessare. *Cap. fin. de pact.*

(C) Justè se Capitulum, ne possessionem capiat, opponit, cum Maternus beneficium nulliter sit adeptus. *Arg. cap. post electionem. 7. de concess. præbend.*

(D) Et hic offendit *Regulam Maternus*, vivente Beneficiato beneficium invadendo, siquidem Ecclesiastica ministeria, beneficia & Ecclesiæ nemini tribuendæ aut etiam promittendæ sunt, antequam vacent, ne desiderare quis mortem videatur illius, in cujus locum & beneficium se crediderit successurum: cum



cum enim in ipsis etiam legibus Gentilium invenitur inhibendum, turpe est & Divini plenum animadversione iudicii, si locum in Ecclesia Dei futuræ successio- nis expectatio habeat, quam ipsi etiam Gentiles condemnare curarunt. *Cap. nulla. 2. de concess. prebend.*

(E) Contra Regulam Prælati Maternum ad Professionem suscipit, cum sine consensu majoris partis Capituli Profes- sio recepta nulla sit; sit enim hic excep- tio à *Reg. jur. 37. in 6. Utile non debet per inutile vitari.* Nam consensus Præ- lati per dissentium Capituli, & consensus Capituli per solius Prælati vitatur dis- sentium.

(F) Non sufficit in electionibus habe- re plura vota respectu aliorum, qui pau- ciora habuerunt. *Cap. Ecclesia. 48. de elect.* Sed plura vota respectu totius Ca- pituli præsentis habere debet, ita, ut si sint viginti vocales, saltem undecim vota habeat. *Cap. Cumana. 5. de elect.*

Maternus primo modo nulliter electus est, sicut & si secundo modo electus fue- rit, dum Religionis, quam professus est, statuta aliud v. g. duas tertias requirunt, Porro in electionibus Regularium non attenditur, quam pars sit sanior, cum omnes bono zelo & ex consideratione meritorum ad electionem processisse præsumantur. *Arg. Clement. ex vi. §. de- mum. de V. S.*

(G) Quamquam appellantes ad futu- rum Concilium ipso facto excommuni- cati existant, Generalis tamen nominatim non denuntiatus, nec ab officio remo- tus valide Maternum confirmavit.

(H) Quia Regula de trienniali in fa- vorem possessoris beneficium aut digni- tatem titulo à jure approbato pacifice & sine contradictione possidentis inducta est, & invalido juri robur tribuit, licite se Maternus eâ pro manutenenda Præla- tura tueretur.



## REGULA II.

*Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.*

**Q**uæres primo. Quid est præscriptio? *R.* Est acquisitio domini, seu ju- ris alieni, sive realis, sive personalis, per possessionis tempore à legibus definito continuationem peremptio, ex quo col- ligitur tria ad præscriptionem requiri: *1<sup>mo</sup>.* Possessionem ex titulo colorato, *R. D. Schnorrenberg in Reg. jur.*

qui ad dominium, si verè subesset, suf- ficeret transferendum. *2do.* Bonam fidem. *3<sup>io</sup>.* Possessionis per totum tem- pus præscriptum continuationem.

Quæres secundo. Quis malæ fidei pos- sessor?

*R.* Cujus conscientia circa rei alienæ

E  
pos-



possessionem læsa est, quia vel rem novit esse alienam, vel cum dubio, an aliena esset, nactus est possessionem.

Quæres tertio. Quis hujus Regulæ sensus?

Re. Dupliciter explicari potest. 1<sup>mus</sup> sensus est: Possessor rei alienæ ejus præscriptionem non perficit, nisi toto tempore legibus aut Canonibus definito eam suam esse prudenter existimet. Exemplum est: Cajus 10. vel 20. annis prædium alienum cum colorato emptionis titulo possedit, si quâcunque temporis parte intra illud de- vel vicennium prædium sciverit esse alienum, interrupta, nec elapso decennio completa est præscriptio. *Cap. fin. de præscript.* Per hanc Regulam jus civile emendatur, quod bonam fidem solum in præscriptionis requirit exordio. *L. unic. C. de usucap.*

*transform.* Ratio est: quia generaliter omni constitutioni atque consuetudini est derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari. *Cit. cap. fin. de præscript.* Leges autem istæ civiles peccata nutriunt, dum sub spe lucri seu domini capiendo animant & excitant ad continuandam malæ fidei possessionem.

2<sup>dus</sup> sensus est: Possessor malæ fidei rem malè possessam nullo tempore, nec ordinario, 10. vel 20. nec extraordinario, 30. 60. vel 100. annorum spatio, aut etiam immemoriali præscribit: cum nulla quantumcunque antiqua possessio malæ fidei juvet possessorem. *Cap. vigilant. 5. de præscript.* Sed possessio malæ fidei eò magis est peccaminosa & animabus periculosa, quandò longiori tempore est protracta. *Cap. fin. de consuetud.*

### C A S U S.

**N**icephorus, Episcopus Basileensis, vacante per triennium Sede Episcopali Genevensi pagos hæreticos duos ad hanc spectantes abjuratâ hæresi ad fidem Catholicam conversos jure præscriptionis suo univit Episcopatu. (A) Decimas quoque ad Zenodochium Genevense spectantes emit, cumque emptio ob præteritas juris solemnitates irrita declararetur, titulo præscriptionis feruari posse putabat. (B) Syndico Capitulari Laico in remunerationem obsequiorum villam Capituli in feudum dedit. (C) Post decennium Syndico mortuo filius ejus à Nicephoro Episcopo infeudatur, infeudationi resistit Capitu-

lum, re autem in longum protractâ, cum post aliquot annos iterum quaestio de villa moveretur, filius Syndici eam jam præscriptam esse respondit. (D) Cum Nicephorus Diœcesin suam visitare, quidam Pastores visitationem recipere, alii procurationem solvere detrectarunt, eò quòd hoc in puncto contra Episcopum præscripsissent, dum ab immemoriali tempore visitati non fuerunt. (E) In eadem visitatione tres pagos, de quibus dubium erat, ad quam Diœcesin pertinerent, visitavit, sicque præscriptionis jure eos sibi plenè vindicare nititur. Opponit alterius Diœcesis Capitulum, Sedem Episcopalem vacare, ideòque præscriptionem



scriptionem non currere. (F) Cùmque minùs sibi fideret, à summo Pontifice pro studii in conversione Hæreticorum impensi remuneratione prædictos tres pagos Episcopatus suo incorporari impetravit. (G)

RESOLUTIO.

(A) **C**asus deciditur in cap. 1. de præscript. ubi statuitur, quòd si quis aliquem locum ad Catholicam unitatem converterit, si eum per triennium nemine repetente tenuerit, ulterius ab eo non sit repetendus, si tamen per ipsum triennium fuerit Episcopus, qui posset repetere, & tacuit: si autem non fuerit, non præjudicetur Matri Ecclesiæ, sed eum liceat, cùm locus acceperit Episcopum, ex ipso die intra triennium repetere.

(B) Zenodochia, & quævis loca pia pro pauperum sustentatione Episcopali autoritate instituta Episcopi subsunt ordinationi. Si igitur Nicephorus vacante Sede Genevensi decimas etiam absque consensu Capituli emit, contractus invalidus est, nec succedentis Episcopi taciturnitate præscriptionem tueri potest. *Cap. nihil prodest. 2. de præscript.*

(C) Capitulo non consentiente irrita est villæ in feudum concessio, cùm speciem alienationis non habeat, alienationes autem Episcopus Capitulo ignorante facere nequit. *Cap. 1. cap. tuanuper. 8. cap. pastoralis. 9. de his que fiunt à Prælat. Sc.*

(D) In temporali quidem alienatione, quam facit Prælati, taciturnitas Capituli habetur pro consensu. *Cap. continebatur. 2. de his, que fiunt à Prælat. Sc.* Minimè verò in alienatione perpetua,

ideo ex hoc capite jus præscriptionis fundari non potest. Deinde obstat mala fides, cùm Syndicus, cui feudum ab initio sine consensu Capituli datum, hanc alienandi formam non tenere benè sciverit, aut facile scire potuerit, unde bonâ fide possidere nequivit. Tertio per Capituli oppositionem possessionis quietæ & pacificæ facta est interruptio, ideòque præscriptio non currit. *Cap. vigilanti. 5. cap. illud autem. 8. de præscript.*

(E) Cùm subditus obedientiam contra Prælatum suum præscribere non valeat. *Cap. cum non. 12. de præscript.* Ideo contra visitationem, quæ est actus Superioritatis, jurisdictionis & disciplinæ Ecclesiasticæ, nullo modo præscribi potest. *Cap. cum ex officio. 16. de præscript.* Et nisi per speciale Sedis Apostolicæ privilegium à præstandis procurationibus ostenderit se immunes (etiãsi longissimo tempore procurationis obsequium non impenderit; cùm in talibus præscriptio sibi locum nequeat vindicare) ipsi ad procurationis sarcinam ordine debito subeundam tenentur. *Cap. accedentes. 11. de præscript.*


(F) Quamvis jus Episcopale in Ecclesiis etiam à non Episcopis per quadragenariam possessionem præscribi valeat, tempus tamen illud, quo Sedes Episcopalis vacavit, subduci debet, unde tam diu cessat præscriptio, quàm diu va-



cat Ecclesia. *Cap. auditis. 15. de præscript.*

(G) Qui titulum præscriptionis allegat, & postmodum privilegium impetrat, si consummata erat præscriptio, ejus juri renuntiâsse videtur, si nondum erat consummata, postimpetratum pri-

vilegium bonam fidem amittit, & ideo secundum Canones non præscribit. *Cap. veniens. 19. de præscript.* Si igitur *Nicéphorus* controverlos pagos absque sub- & obreptione Diœcesi suæ Pontificio diplomate uniti impetravit, cessat omne jus & titulus præscriptionis.



## REGULA III.

*Sine possessione præscriptio non procedit.*

**Q**uæres primo. Quid est possessio?

ꝛ. Est detentio rei, juris & animi adminiculo. Dicitur: *juris*: quia gaudens effectibus & fructibus possessionis ad rem possidendam juris impotens esse non debet, quemadmodum Laici jus decimarum aliâque jura spiritualia possidere nequeunt. Dicitur: *Animi adminiculo*: nempe intentione & animo rem ut suam habendi, hinc depositarius non est possessor, quia rem alienam custodiendi tantum tenet animo; commodatarius, usurarius, conductor, &c. non proprio, sed alieno nomine possident, & tantum animo re alienâ utendi.

Quæres secundo. Quotplex est possessio?

ꝛ. Alia propria, alia impropria est; propria corporalium, impropria incorporeorum rerum est, ut beneficia, juris eligendi, venandi, servitutum possessio, quæ proinde quasi possideri dicuntur. Alia est naturalis, alia civilis. Na-

turalis est, cum quis naturaliter animo & corpore rem tenet, & eidem insitit; civilis est, cum quis rem animo detinet, ut si quis fundum animo & corpore adeptus peregrè proficiscitur, nemine in fundo relicto, animo tamen sibi eundem detinendi.

Quæres tertio. Quis hujus Regulae sensus?

ꝛ. Præscriptio sicut non est, dum inchoatur, sic inchoata non procedit, nec perficitur, si possessio toto tempore ad præscriptionem de jure requisito non continuetur, sed quomodocumque amittatur: quia præscriptio in continuatione possessionis tempore & modo à legibus ac Canonibus constituto fundatur, ideo sicut deficiente aut sublato fundamento ædificium necessariò corruiat, ita quoque deficiente, ablata, amissa & interruptâ possessione inchoata aufertur, vel interrumpitur præscriptio?

Quæres quarto. Quot modis possessio interrumpitur?



RE. Duobus: *Naturaliter* & *Civiliter*. *Naturaliter* interruptitur, quando quis vel à possessione violenter, nec eam statim recuperat, vel rem possessam spontè dimittit. *Civiliter* interruptitur, quan-

do jus possidendi per actum juridicum, ut per citationem, litem contestationem, & maximè per sententiam in dubium vocatur.

## C A S U S.

**O**rosius Jurisconsultus defendit Martinum Abbatem contra Ordinarium suum, qui ei officium Præsidis Consilii Ecclesiastici abstulit, quod aliàs Prædecessores ejus ab immemoriali tempore administrarunt, hunc *Orosius* titulo præscriptionis tueri conatus est. (A) Sed litem sumptuosam Abbas perdidit. Pro sumptibus autem Advocatiæ *Orosio* certi pagi decimas Conventu sciente & non contradicente concessit, cum conditione, ut decimæ receptis sumptibus ad monasterium redirent. (B) Cum decimæ paulatim in oblivionem venissent, & Martinus vivere desiisset, Successor Abbas easdem repetere cœpit, cui opposuit *Orosius* se eas jam præscripsisse, cum

ipsas ultra 40. annos possedisset. (C) Per amicabilem compositionem monasterium decimas recepit, sed Abbas Personatum filio *Orosii*, qui necdum Clericus erat, nec animum clericandi positivè habebat, contulit. (D) Ex post primâ tonsurâ initiatus pluribus annis mundanis vanitatibus deditus beneficium tenuit, & per substitutum administravit, ab Ordinario tandem vel Ordines ad Personatum requisitos suscipere, vel beneficio cedere jussus, illud dimittere prælegit. (E) Substitutus in Personatu se titulo possessionis & inde juris quæsitum manutenere, nec cedere volebat, donec sibi de alio beneficio provisum esset. (F)

## R E S O L U T I O.

(A) Si præsidium in consilio Ecclesiastico *Martini* Antecessoribus non intuitu personarum, sed Abbatis dignitatis collatum, eique perpetuò annexum fuerit, rectè *Martinum* defendit *Orosius*, cum reale sit privilegium, quod ad Successores transire noscitur, juxta *Reg. autem 16. de reg. jur. in 6.* decet concessum à Principe beneficium esse mansurum. Quamvis ergo Successor privilegium concedentis hoc

ipsum absolutè revocare valeat, requirit tamen naturalis honestas, & Principis dignitas, ut privilegium maneat, ne illudere videatur, & inconstantia arguatur.

Si præsidendi officium personale solum fuerit, quia v. g. propter Abbatum istius monasterii dexteritatem, doctrinam & experientiam singularem ipsis committi solitum, contra *Regulam* peccavit *Orosius Martinum* ex capite præ-

E 3                      scriptionis



scriptionis defendendo, licet enim *Martinus* officium memoratum cum Antecessoribus suis possederit, non currebat tamen præscriptio, eò quòd non proprio, sed Ordinarii nomine illud possiderent. *Cap. si diligenti. 17. de præscript.*

(B) Quia temporalis solum erat decimarum alienatio, taciturnitas Capituli Regularis pro consensu habebatur. *Cap. continebatur. 2. de his que sunt à Pralat.*

(C) Iterum contra *Regulam* jus præscriptionis opponit *Orosius*, cum nomine alieno & animo decimis ad tempus tantum fruendi hucusque possederit, nec ipsas nomine proprio possidere potuerit, utpote incapax juris hujus spiritualis, *cap. quamvis. 17. de decim.*

(D) Si cum implicito pacto *Orosii* filio facta Personatus collatio, ut decimæ monasterio redderentur, simoniaca est & invalida. *Cap. fin. de pact.* Quamvis ex alio capite simul invalida sit, quia videlicet primam tonsuram nondum initiatus erat, *cap. fin. de tempor. ordinat. in 6.* Cum Laici beneficia Ecclesiastica possidere non possint, qua de causa nec Regulam Cancellariæ de triennali tueri sese valebat; hæc enim præter titulum coloratum capacitatem supponit possidentis.

(E) Quia beneficia Deo consecratis personis ob sacram & spiritualementem functionem conceduntur. *Cap. fin. de re-script. in 6.* Justè Episcopus, cui beneficiorum Canonicam administrationem procurare incumbit, Personatistam vel ad personale personatus servitium, vel ad beneficii depositionem compellere potuit. Gratis autem disjunctivè præcepit, cum absolute tantum ad deponendum beneficii titulum cogere potuisset, siquidem primæ tonsuræ susceptio non revalidat collationem antè invalidè factam, cum non firmetur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit. *Reg. 18. de reg. jur. in 6.* Quare beneficium toto illo tempore, quo filius *Orosii* ejus titulum gessit, vacavit, & omnes fructus ex eo perceptos excepta parte pro salario substituti deputata, restituere sive ad causas pias applicare tenentur.

(F) Quia substituti possessio non proprio, sed alieno nomine fuit, ex ea jus sibi acquirere non potuit per *Regulam*, & cit. *cap. si diligenti. 17. de præscript.* Ex fructibus tamen à principali perceptis præstiti obsequii debet recipere mercedem,





## REGULA IV.

*Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*

**Q**uæres *primo*, Quid est restitutio?  
*R.* Est rei alienæ vi aut clam ablatæ redditio, si exstet, vel si non exstet, valoris & æstimationis ejusdem exhibitio, aut si damnum injustè causatum, ipsius reparatio.

Quæres *secundo*. Quot modis damnum injustè inferri potest?

*R.* Duobus: *Materialiter* & *formaliter*. *Materialiter* damnum infert, qui rem alienam aufert, retinet, destruit, deteriorem reddit, quam bonâ fide putat esse suam, qui restituere solùm tenetur, quod ex re aliena adhuc habet, vel *formaliter*, si de ea verè quid exstet, vel *virtualiter*, si ex alieno factus locupletior. *Formaliter* injustè damnum infert, qui alienum aufert, retinet, destruit, deteriorem reddit, dolosè, sciens vel obligatus scire, jus sibi ad illud non competere, & hic tantum, quantum est ablatum, rem cum fructibus, omne damnum reparare, seu tantum, quantum vero domino re non caruisse interest, præstare & reddere obligatur.

Quæres *tertio*. Quis hujus Regulæ sensus?

*R.* Ut peccatum contra justitiam commutativam commissum quoad reatum culpæ & pœnæ æternæ remittatur, dolor cum proposito emendationis & Sacra-

mentalibus Confessio non sufficit, sed insuper requiritur, ut peccator rem ablatam & detentam restituat, aut si amplius non exstet, ejus æstimationem ac omne damnum emergens, id est, quidquid damni in rebus occasione injustæ detentionis est passus, & omne lucrum cessans, id est, quod propter injustam detentionem dominus non est lucratus, & aliàs lucratus fuisset, reddat ac refarciat, vel ea saltem proximè restituendi & reparandi voluntatem habeat, nisi legitimâ causâ excusetur. Fundatur hæc Regula in doctrina S. Augustini relata in *can. 1. caus. 14. q. 6.* "Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum." Ratio est: quia qui rem injustè ablatam non restituit, vel damnum injustè causatum refusione æstimationis non reparat, læsionem proximi continuat, contra præceptum juris naturalis & divini, exigens, ut justitia & æqualitas observetur, & injustitia vel inæqualitas per peccatum introducta refarciatur, quibus nec præstitis, nec propositis peccatum nec quoad culpam, nec quoad pœnam, tanquam non verè pœnitenti, sed malè disposito relaxatur.

Quæ-



Quæres *quarto*. Quæ à restitutione exculant?

*1<sup>um</sup>*. Si damnum sine culpa Theologica datum, ante sententiam Judicis non est restituendi obligatio, nec quod solâ culpâ juridicâ causatum, nisi per contractum se quis ad damnum ex culpa juridica proveniens obligasset. *2<sup>dum</sup>*. Si debitor absolutè non habeat, unde restituat, aut satisfaciat, per *Regulam 6. Nemo potest ad impossibile obligari.* *3<sup>ium</sup>*. Si absque majori damno in fama, vita, &c. quæ altioris Ordinis bona sunt, restitutio fieri nequit. Exemplum est in *cap. officii. 9. de pœnit. & remiss.* Ubi mulier, quæ per alienum partum suppositum, vel ex adulterio susceptum legitimos hæredes

ab hæreditate excluserat, ad pœnitentiam admittitur, licet ad impediendam adulterinæ prolis successionem crimen suum non manifestaverit, cum sine gravi famæ dispendio nefandum facinus detergere non potuerit. *4<sup>um</sup>*. Si in magnum domini bonum restitutionis cederet dilatio, eò quòd v. g. pecuniâ in damnum suum abusus esset. *5<sup>um</sup>*. Si debitor bonis cedat, donec ad meliorem fortunam devenerit. *L. cum & filius familias. 7. C. qui bon. cedere poss. 6<sup>um</sup>*. Si restitutio ab eo, cui facienda est, ultro & gratuito remittatur. *7<sup>um</sup>*. Si bona in certa ex delicto debita (idem est de fructibus beneficii malè perceptis) ex parte ad causam piam applicata per summum Pontificem condonentur.

### C A S U S.

**P**aulinus Judex duobus nepotibus suis super beneficio litigantibus transactionem super ipso beneficio persuasit, hæc in irritum revocatâ unus ex nepotibus à Paulino damnum, quod transactionem suadendo causavit, sibi resarciri postulat. (A) Paulinus ergo cum nepote litem movens, procuratorem causæ Sempronium constituit, qui causam negligenter instruxit, unde non exiguæ expensæ Paulino sunt causatæ. (B) Quare Sempronium revocat, eique ulteriorem causæ procurationem interdicit, qui revocatione non obstante cau-

sam nihilominus procurat, sed sententiam contra Paulinum reportat. (C) Sententiâ irritatâ Paulinus & Nepos in arbitros Titium & Cajum compromittunt, qui Paulino plus æquò faventes eum à restitutionis onere absolvunt. (D) Contra laudem Paulini nepos cum adhuc minorennis esset, restitutionem in integrum petit, & obtinuit. (E) Restitutus per definitivam sententiam evicit, quòd Paulinus ei primò vacaturum beneficium in Ecclesia Cathedrali procurare teneretur. (F)





## R E S O L U T I O.

(A) IN causa beneficii *Paulinus* transactionem suadendo peccavit, siquidem hujusmodi transactiones simoniae speciem continent, ideoque nullius sunt momenti. *Cap. constitutus. 4. cap. super eo. 7. cap. preterea. 9. de transact.* Damnum verò emergens & lucrum cessans unus ex Nepotibus transigentibus, qui fructus beneficii, super quo transactum, percepit, & in ejus defectu *Paulinus* reparare tenetur.

(B) Procurator non auditur, nisi mandato legitimo instructus fuerit. *Cap. 1. de procurat.* Damna & expensas *Paulino* ex negligentia causatas juxta *Regulam* refarcire obligatur.

(C) Quantumvis Procurator ante litem contestatam etiam sine causa liberè à Domino revocari possit, post litem tamen contestationem, nisi rationabilis causa subsit, revocandus non est. *Cap. quamvis. 2. de procurat. in 6. Paulinus* autem sufficientem habuit procuratorem revocandi causam, unde temerariè & injustè egit Procurator revocatus, & de revocatione certificatus causæ ulterius se ingerendo, nec lata *Paulino* nocet sententia. *Cap. ex insinuatione. 3. de procurat.*


(D) *Paulinus* & nepos in electione arbitratorum juris formam non servaverunt, cum arbitri in dispari numero sint eligendi, & eis discordantibus stetur majoris partis sententiæ. *Cap. 1. de arbitris.* Juxta *Gloss.* tamen in *cit. cap. 1. de*

*arbitr. verb. Unus eligatur aut tres.* Si compromittatur in duos, tenet arbitrium, & si non concordaverint, cogendi sunt, ut vel concordent, vel tertiam personam assumant. Nullum est arbitratorum particularium, & uni parti plus quàm alteri faventium; non enim decet sustineri, ut quod perperam arbitrati sunt, debeat incorrectum relinqui. *Cap. non sine. 2. de arbitris.* Unde injusti arbitri per *Regulam* parti læsæ ad satisfactionem tenentur.

(E) Effectus compromissi quidem est, quòd partes sententiæ arbitratorum, sive æqua, sive iniqua sit, stare obligentur. Ut colligitur ex *cap. per tuas. 9. de arbitris.* nisi iniquitas manifesta sit & omninò notoria. Cum autem quicumque minoræ in causis aliàs inappellabilibus etiam contra sententiam Papæ restituatur. *Arg. cap. tum ex litteris. 5. de integr. restitut.* Restitutio non quidem laudi executionem impediendi; sed causæ justitiam prosequendi gratiâ benè indulta fuit.

(F) Provisio de beneficio proximè vacaturo facienda, quia in damnorum temporalium compensationem fieri mandata est, simoniam continebat, quamvis aliàs promissio beneficii vacaturi invalida sit & à jure reprobata. *Cap. ex tenore. 13. de concess. prebend. Trident. Sess. 24. de reform. cap. 19.* Idcoque sententia contra *Paulinum* obtenta non subsistit.





## REGULA V.

*Peccati venia non datur nisi correcto.*

**Q**uæres *primo*. Quid est peccatum?  
*R.* Est voluntaria legis transgressio. Si lex graviter obliget, est peccatum mortale, mortem animæ seu gratiæ sanctificantis privationem inducens, quæ privatio à Theologis peccatum habituale nuncupatur. Si lex leviter obliget, ejus transgressio veniale est peccatum, per quod homo non aternæ, sed temporalis pœnæ, vel in hac, vel in altera vita sustinendæ incurrit reatum.

Quæres *secundo*. Quis hujus Regulæ sensus?

*R.* Peccatum actuale quoad reatum culpæ & pœnæ aternæ à Deo non remittitur, nisi de eo vel per contritionem perfectam, vel per attritionem Sacramentali absolutioni aut alterius Sacramenti susceptioni conjunctam agatur pœnitentia: quamvis enim Omnipotens DEUS infundendo gratiam sanctificantem absque prævio pœnitentiæ actu peccatum commissum absolutè remittere valeat, attamen de facto peccatum adulto nunquam remittitur, nisi illud per pœnitentiam correxerit; quia conveniens est, ut qui in peccatum actuale consentiendo propriâ voluntate à DEO defecit & apostatavit, absque correctione, sive perversæ voluntatis retractatione veniam peccati nunquam consequatur,

quod non tantùm in mortali, sed etiam in veniali peccato procedit; hoc etenim est quoque inordinata quædam ad bonum creatum conversio, quæ licet absque contritione perfecta, vel Sacramenti susceptione remitti possit, nihilominus sine omni pœnitentia & virtuali saltem retractatione & correctione nunquam condonatur.

Quæres *tertio*. Quæ Regulæ contraria videntur?

*R.* Ex Jure Canonico duo objici possunt: *1<sup>um</sup>* sumitur ex *can. fin. dist. 4.* ubi agitur de prava quorundam Laicorum consuetudine, qui in Quadragesima Dominicis diebus se carnibus ingurgitabant, ad quod dicitur: quod cum ab hac consuetudine averti non possint, ideo cum venia suo genio relinquendi sunt, ne fortè pejores existant, si à tali consuetudine prohibeantur. Ergo datur venia non correctis. Sed respondendum est, Canonem loqui non de venia culpæ, sed de venia pœnæ temporalis, quâ non inflicta subditorum peccata majoris mali vitandi causâ quandoque tolerantur.

*2<sup>do</sup>*. Opponitur *cap. quidam. 5. de pœnit. & remiss.* ubi de consuetudinariis, qui ad Confessionem venientes confiteri volunt, se tamen abstinere non posse asserunt, de his inquam dicitur, quod eorum



eorum recipienda sit Confessio. Ergo datur venia non correctis, sed respondendum, quod similibus peccatoribus per absolutionem Sacramentalem venia non detur, sed eorum Confessio tantum admittitur, ut eis de criminibus confi-

lium adhibeatur, & paulatim crebris ac salutaribus monitis ad veram penitentiam disponantur, quâ habitâ & peccato sic correcto veniam absolutionis beneficio consequantur.

## C A S U S.

**Q**uiritius ab Episcopo ob homicidium excommunicatus ad extrema deveniens conterritus, & petitam à Pastore reconciliationem obtinuit. (A) Cum conditione, si parti læsâ reconciliaretur, & satisfaceret. (B) Vocati occisi consanguinei reconciliationem rejecerunt, quâ indiscretionē Quiritius irritatus animum penitendi mutavit, & impœnitens exspiravit, sed propter

prima penitentia signa in loco sacro sepultus est. (C) Episcopus de rei exitu certior factus Quiritii corpus exhumari, & in locum profanum projici iussit. (D) Quo facto Quiritii familia graviter offensa seditionem in urbe excitavit, & ipse Episcopus seditiosorum manibus occisus est. (E) Summus Pontifex delato ad se negotio civitatem Sede & Dignitate Episcopali privavit. (F)

## R E S O L U T I O.

(A) **S**I Quiritius homicidium proditorium sive Assassinium commiserat, à jure simul excommunicatus erat. *Cap. 1. de homicid. in 6.* Causa autem commissi homicidii rationabilis erat & sufficiens ad ferendam in Quiritium excommunicationis sententiam, prout requiritur in *cap. sacro. 48. de sent. excom. cap. fin. de sepult.* Excommunicati in mortis articulo ad penitentiam admittendi sunt. *Cap. Alma Mater. fin. de sent. excom. in 6. Arg. cit. cap. fin. de sepult.* Cum enim per *Regulam* detur venia correcto, correctionis quoque media, inter quæ hic præeminet penitentia, sunt indulgenda.

(B) Justè & necessariò hanc conditio-

nem apposuit, & in reconciliatione exigit Sacerdos, excommunicato enim penitentia impendenda non est, nisi de ipso delicto priùs satisfecerit, vel de satisfaciendo idoneam cautionem dederit, aut si satisfacere nequeat, vel hujusmodi cautionem præstare juraverit, quod cum potuerit, satisfaciet, & ad satisfactionem per eum, vel per eos, qui facere ipsam debent & possunt, dabit consilium & auxilium, ac juxta posse suum fideliter laborabit. *Arg. Alma Mater. fin. de sent. excom. in 6.*

(C) Gravissimè contra *Regulam* deliquerunt consanguinei correcto jam Quiritio reconciliationis veniam, quam penitenti tamen Deus & Ecclesia concedit,




impiè denegantes. *Quiritius* etsi jam ab excommunicatione sub præfata conditione absolutus esset, mutato jam pœnitendi & satisfaciendi animo in priorem excommunicationem reincidit. *Arg. cap. eos qui. 22. de sent. excom. in 6.* Ideòque in impœnitentia decedenti Ecclesiastica deneganda erat sepultura; sacris enim est Canonibus institutum: ut quibus non communicavimus vivis, etiam non communicemus mortuis: & ut careant Ecclesiasticâ sepulturâ, qui prius erant ab Ecclesiastica unitate præcisi, nec in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati. *cap. sacris. 12. de sepult.*

(D) Secundùm formam Canonicam & Regulam nostram Episcopus incorrecto veniam negando, & excommunicati corpus extra locum sacrum projiciendo processit. In *cit.* namque *cap. sacris.* statuitur, ut si contingeret, quòd excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in cœmeterio Ecclesiastico tumultentur, si ab aliorum corporibus discerni possint, ex-

humari debeant, & procul ab Ecclesiastica jactari sepultura.

(E) Enormissimus est excessus, quo cives suum occiderunt Episcopum, in quo casu juxta *cap. sicut dignum. 6. de homicid.* in excessibus singulorum non solum quantitas & qualitas delicti, sed ætas, scientia, sexus atque conditio sunt attendenda, & non solum secundùm ipsam sceleris atrocitatem, sed secundùm locum & tempus, quo tantum nefas commissum est, unusquisque est puniendus. Pœna Juris Canonici est excommunicatio, Juris civilis capitale supplicium. *L. si quis. 10. de Episcop. & Cleric.*

(F) Quanquam juxta *Reg. 76. de Reg. Jur. in 6.* delictum personæ non debeat in detrimentum Ecclesiæ redundare, justè tamen Pontifex civitatem illam, quæ crudelitate inaudita proprium interfecit Episcopum, Sede & Dignitate Episcopali privavit, nec veniam tanti facinoris, nisi civibus per insignem pœnitentiam & extraordinarium dolorem correctis dari debet. *Can. fin. caus. 25. q. 2.*



## REGULA VI.

### Nemo potest ad impossibile obligari.

**Q**uæres primo. Quid & quoruplex est impossibile?

1. Impossibile est omne illud, quod ab homine præstari non potest, & hoc triplex est: Impossibile de facto, impossibile de jure, & impossibile moraliter,

Impossibile de facto est, quod consideratis personæ facultatibus & loci ac temporis circumstantiis secundùm ordinarium cursum & DEI concursum fieri nequit; sic impossibile est hominem resuscitare mortuum, illuminare eam, &c.

Im-



Impossibile de jure est, quod quidem attentis omnibus circumstantiis absolute, non tamen honeste, ob Legis Divinae vel humanae prohibitionem, fieri potest. Colligitur ex *can. faciat. 15. caus. 22. q. 2. junct. gloss. verb. non possit. & cap. fin. de pact.* Demum impossibile moraliter est, quod quidem de facto & de jure, non tamen absque magna difficultate, damno, ejusve periculo fieri nequit.

Quæres secundo. Quis hujus Regulae sensus?

ꝛ. Nulla lex, præceptum, Judicis sententia, juramentum, ultima testatoris voluntas, nullus contractus obligat ad id, quod de facto, vel de jure fieri non potest. Hunc sensum Gloss. in præsentem Regulam his explicat verbis:

*Ultra posse meum non me lex justa coegit,*

*Nec putat esse reum, qui totum posse peregit.*

Quæres tertio. An conditio impossibilis in contractum deducta vitiet eundem?

ꝛ. Regulariter loquendo ob consensûs defectum vitiat contractum; quia contrahentes non aliter se obligare voluerunt, quam sub conditione, quæ vel absolute, vel saltem absque peccato adimpleri nequit, *L. non solum. 31. ff. de obligat. & action.* Excipiuntur testamentum & matrimonium, in quibus ob favorem ultimæ voluntatis & conjugii conditio impossibilis, nisi substantiæ eorum repugnet, pro non adjecta habetur, *Cap. fin. de condit. appof.* quia jura in his dispositionibus favorabilibus disponentes conditionem turpem vel de facto impossibilem non serio adjicere voluisse præsumunt,

### C A S U S.

**R**osalia DEO per simplex castitatis vorum devota Virgo cum Simplicio sponsalia contraxit. (A) Sponsalia sic contracta esse irrita intelligens matrimonium per verba de præsentibus cum Papiniano inivit. (B) Quo cognito Simplicius in furorem actus de Papiniano, quem formosam Rosaliam blanditiis sibi abstraxisset arbitratur, se vindicaturum juravit. (C) In quem finem Titium, ut Papinianum occultè occidat, pretio post peractum homicidium solvendo conducit. (D) Titius re benè perfungitur, & Pa-

pinianum proditoriè peremit. (E) Sicque pretium operis exigit, quod Simplicius ex Regula præsentibus solvere recusat. (F) Cum Titio tandem convenit, quod non tantum promissum pro homicidio pretium, sed ejus etiam augmentum solvere velit, si matrimonium cum Sorore Rosalia jam defunctæ sibi procuraret, quod Titius efficit, & Simplicius eidem matrimonio contracto promissas pecunias numerat. (G)





## RESOLUTIO.

(A) **E**X Regula sequitur nullam esse sponsalium Rosaliam inter & Simplicium initorum obligationem; votum enim simplex contrahendum impedit matrimonium, *Cap. unic. de voto in 6.* Unde cum objectum sponsalium, matrimonium scilicet contrahendum, de jure sit impossibile, sponsalia ipso facto invalida esse dignoscuntur.

(B) Ex eodem capite promissio matrimonii de futuro facta Papiniano nulla erat, contractum tamen licet illicitè tenet matrimonium, quamvis durior penitentia transgressori debeat. *Cit. cap. unic. de voto in 6.*

(C) Similiter juramentum de sumenda vindicta impossibile de jure, & illicitum erat, cum juramentum, ut esset iniquitatis vinculum, non fuerit institutum. *Cap. quanto. 18. de jurejur.* Cum igitur pro presenti in alterius redundet præjudicium, & observatum vergat in dispendium æternæ salutis, obligandi non habet facultatem.

(D) Et pæctio hæc perniciofa, de jure impossibilis & per ipsam naturam reprobata, ideòque invalida est. *Cap. fin. de pæct.* Cum illi, qui sic horrendâ inhumanitate detestandâque sævitiâ mortem faciunt aliorum, ut ipsos faciant per Assassinos occidi, non solum corporum, sed mortem procurent etiam animarum. *Cap. 1. de homicid. in 6.*

(E) De Assassinio ira statuitur in *cit. cap. 1.* "Quicumque Princeps, Prælatus seu quævis alia Ecclesiastica secularisve


"persona quempiam Christianorum per  
"Assassinos interfici fecerit, vel etiam  
"mandaverit (quanquam mors ex hoc  
"forsitan non sequatur) aut eos recepta-  
"verit, vel defenderit, seu occultave-  
"rit, excommunicationis & depositio-  
"nis à dignitate, honore, Ordine, offi-  
"cio & beneficio incurrat sententias,  
"ipso facto sit etiam cum suis bonis mun-  
"danis, tanquam Christianæ Religionis  
"æmulus, à toto Christiano populo  
"perpetuò diffidatus, &c." Unde docet *Fagn. in cap. cum non ab homine. 1. de de judic. n. 72.* Quod Clericus Assassinus tanquam publicè diffidatus absque ulla depositione vel sententia ipso jure & facto relinquatur Curie seculari non expectata incorrigibilitate, etsi declarationem Judicis Ecclesiastici, quâ Assassinus pronuntietur, præcedere oporteat.

(F) Culicem colat simplicius, postquam camelum jam deglutivit; non enim ipsi Regula suffragatur, cum solutio pæcti pretii opere præstito non jam de jure impossibilis, sed debita existat.

(G) Olim sponsalia etiam invalida, modò non fuissent invalida ex defectu consensûs, publicæ honestatis inducebant impedimentum. *Cap. unic. de sponsal. in 6.* Hodie tamen *Trident. Sess. 24. de reform. matr. cap. 3.* statuit, ut quæcunque ratione sponsalia fuerint invalida, nullum ex illis nascatur impedimentum. Quapropter Regula nostra matrimonio Simplicii cum Sorore Rosalia non obstabat.

RE-





## REGULA VII.

*Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.*

**Q**uæres primo. Quid & quotuplex est privilegium?

*Re.* Privilegium est jus singulare in certâ personâ aut causâ favorem à Principe concessum. Dividitur in reale & personale. Reale est, quod personâ ratione rei aut loci, dignitatis, officii, negotii aut Confraternitatis conceditur, talia sunt privilegia, quæ ratione Episcopatus, Clericatus, Principatus, Ordinis Religiosi, studiorum &c. competunt. Personale est, quod ratione singularis ipsius experientia, industria, fidelitatis aut meriti indulgetur.

Quæres secundo. Quis hujus Regulæ sensus?

*Re.* Privilegium in favorem solius personæ datum, personam, in quocunque loco fuerit, comitatur, cum hac extinguitur, nec ad hæredes vel ejusdem transit Successores: quia totum fundamentum hujus privilegii positum est in singularibus personæ privilegiatæ qualitatibus, ideoque illas sequitur, quibus per mortem sublatis privilegium quoque emori necesse est. Econtra si privilegium reale, & ratione loci datum, persona mutans locum perdit privilegium, si ratione officii concessum, succedens in officio succedit in privilegio.

Quæres tertio. Quæ Regulæ exempla?

*Re.* Sequentia in jure notanda sunt:  
*1mo.* Si privilegium in certo loco per consuetudinem sit introductum, personæ locum egredientes privilegio non fruuntur, cum tale privilegium non personale, sed reale esse constet. *Arg. can. illa autem, 11. dist. 12.* ubi in certo loco consuetudo erat, quod in quibusdam diebus ab Ecclesia interdictis Fideles carnes comederent, ut de facto in Belgio à Nativitate Domini usque ad Purificationem diebus Sabbathinis Belgæ carnes manducant, ad hanc consuetudinem respondet *Canon*, ut qui consuetudinis egrediuntur locum, & ad terram, in qua consuetudo ista viget, à carnibus abstinere debeant.

*2do.* Plurima privilegia habet Archiepiscopus, postquam à summo Pontifice singulare, quod pallium Archiepiscopale nominant, obtinuit ornamentum. Hæc privilegia dantur per pallium Archiepiscopale personæ cum respectu & ordine ad certum locum, quem proinde non egrediuntur; sed *1mo.* Archiepiscopus ornamentum illud extra Provinciæ vel Diœcesis suæ limites portare nequit. *2do.* Si Archiepiscopus habens pallium ad alium transferatur Archiepiscopatum, novum pallium petere debet. *3tio.* Quia hoc privilegium



ex parte est personale, mortuo Archi-Episcopo pallii quoque privilegium desinit, & ipsum pallium cum Archi-Episcopo sepelitur, ita, ut à Successore in

dignitate Archi-Episcopali novum pallium sit petendum. *Cap. 1. cap. ex tuarum. 5. de author. & usu pall.*

## C A S U S.

**S**igebertus origine Mediolanensis in Germaniam profectus Moguntiae Feria 4 & 5. post Cineres carnes comedit, eò quòd Mediolani jejunium Quadragesimale Dominicâ primâ Quadragesimâ prius incipiat. (A) Propter excellens studium Primas Universitatis Moguntinae factus casu veniens Argentoratum in eadem Universitate præcedentiam prætendebat. (B) In Ordine Canonorum Regularium professus Legatum summi Pontificis monasterium visitare volentem cum contemptu exclusit, ideòque ipsum monasterium interdicto suppositum fuit, cumque alios Sacerdotes clam celebrare videret, idem ipse fecit. (C) In Abbatem electus & Visitator Ordinis constitutus, dum visitandis per di-

versas Dioceses monasteriis incumberet, Confessario utitur in propria tantùm Diocesi approbato. (D) Obtento à Papa privilegio, quòd possit omnia liberè facere sicut verus Episcopus & Ordinarius tam in iis, quæ sunt jurisdictionis, quàm in aliis quibuscunque ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, vi dicti privilegii Ordines confert, Ecclesias consecrat, &c. (E) Propter singularem virtutem in Episcopum electus dubitat, an quâ Episcopus à Sede Apostolica petere possit pallium Archi-Episcopale, Sedi suæ Episcopali conferri solitum. (F) Pallio impetrato semper & ubique pro libitu utitur nixus Regulâ: *Privilegium personale personam sequitur.*

## R E S O L U T I O.

(A) **P**rivilegium Mediolanensium locale est, nec personas extra locum comitatur, unde Sigebertus Moguntiae existens originis suæ non gauderet privilegio. *Cap. quoniam. 21. de privileg.* Ubi privilegium Religiosis concessum, ne à quoquam interdici, suspendi aut excommunicari valeant, non suffragatur eis, qui degunt vel administrationem suscipiunt in Prioratibus jurisdictioni Episcopali subjectis.

(B) Præminencia Primatis Universitatis personalis est, & ad certum determinata locum, extra quem non habet effectum, quare Sigebertus honorem ab Argentinensibus oblatum recipere, præcedentiæ tamen gradum, quia apud eos qualificatus non erat, prætere non poterat. *Arg. cap. cum capella. 16. de privileg.*

(C) Non obstante exemptionis etiam generalissimæ privilegio summus Pontifex



fex vel per se, vel per Legatos suos exemptorum monasteria plenissimam habet visitandi potestatem, cum sit Judex ordinarius singulorum, & nulli fas sit forum ejus declinare, *Can. cuncta per mundum, 17. caus. 9. q. 3.* Hinc contra privilegii Authorem deliquit *Sigebertus* Legatum ejus repellendo. Privilegium tempore interdicti clam celebrandi non extenditur de persona in personam, nec suffragatur eis, quorum culpam vel fraude interdictum fuit positum. *Cap. quod nonnullis, 25. de privileg. Sigebertus* ergo utpote causa interdicti celebrando peccavit.

(D) Rectè *Regulam* sequitur *Sigebertus*, nam juxta *cap. ne pro delatione, fin. de poenit. Et remiss.* Confessarium ab Ordinario tamen approbaturum sibi eligere poterat, & taliter electus per ipsam electionem quasi ordinariam à lege accepit jurisdictionem, unde & *Sigeberti* eligentis proprius ac ordinarius Sacerdos esse censebatur, ac ideo ad instar Parochi confessiones *Sigeberti* tanquam suæ ordinariæ jurisdictioni subiecti in quacunque Diœcesi habebat audiendi facultatem. *Fagn. in cit. cap. fin. n. 30.*

(E) Malè privilegium Pontificium *Sigebertus* à jurisdictione ad actus Ordinis extendit, cum unum ab altero non comprehendatur, imò inter se maximè sint distincta. *Arg. cap. dilectus, 18. de offic. Ordinar.* Et privilegia contra jus

commune indulta strictissimè subjaceant interpretationi.

(F) Pallium est quidem de jure communi speciale Archi-Episcoporum ornamentum. Sunt tamen quædam Sedes Episcopales, quibus id ipsum de singulari summorum Pontificum favore & gratia est concessum. Cum igitur privilegium illud sit reale, utpote Ecclesiæ Episcopali perpetuò annexum. *Sigebertus* non tantum poterat, sed & tempore à jure constituto videlicet intra tres menses à die consecrationis, vel per se, vel per alium ad hoc speciale mandatum habentem memoratum pallium petere debebat. *Can. 1. dist. 100.*

(G) Ineptè *Sigebertus* *Regulam* applicat, nec enim semper, nec ubique pallio uti licet. *1mo* quidem pallio utitur ejus honore insignitus non tantum in Ecclesiis Cathedralibus, sed etiam in omnibus aliis suæ Provinciæ locis intra Missarum Solemnia. *Cap. cum sis, 6. cap. fin. de author. Et usu pall. 2do.* In aliena Diœcesi, & in propria in Missa Defunctorum non licet uti pallio. *Arg. cap. extuarum, 5. de author. Et usu pall. 3tio.* Nec extra Ecclesiam v. g. in processione. *Cap. 1. de author. Et usu pall.* Nec omnibus, sed certis & determinatis solemnioribus diebus pallio uti licet. Hos dies enumerat *Gloss. in cap. ad honorem, 4. de author. Et usu pall. verb. ad honorem.*





## REGULA VIII.

*Semel malus, semper præsumitur esse malus.*

**Q**uæres primo. Quis hujus mirabilis Regulae sensus & ratio?

R. Sensus & ratio Regulae est: quamvis quilibet præsumatur bonus, ut supra diximus, donec appareat malus, & legitimam probationem de malitia fuerit convictus. *Cap. un. de scrutin. in Ord. faciend. cap. fin. de præsumpt.* Postquam tamen semel malus apparuit, ut quia pejeravit, prævaricatus est, adulterium commisit, tamdiu præsumitur malus, donec per poenitentiam peccatum expiasset, & animum mutasse probetur. Colligitur ex *can. parvuli. 14. caus. 22. q. 5. & cap. scribam. 9. de præsumpt.* Exemplum habemus in *cap. majores. 3. de Baptism.* ubi dormientes & amentes, qui ante somnum vel amentiam se nolle Baptismum suscipere declarant, baptizari prohibentur, quia non præsumitur, quod volun-

tatem mutaverint, sed in priori contradictionis proposito, usque dum contrarium probetur, perseverare intelliguntur.

Quæres secundo. Quæ Regulae limitationes & exceptiones?

R. Sequentes. *1ma.* Si tantum in principio, & non in fine actus fuerit malus, hoc est: aliquis delictum quidem inchoavit, sed non consummavit, voluntarie ab incepto scelere desistendo, is animum mutasse præsumitur. *2da.* Non valet Regula in diversi generis delictis, sic qui malus fuit in adulterio, non præsumitur malus in homicidio. *3tia.* Præsumptio Regulae non est juris, & de jure, ita, ut in contrarium probationem non admittat, sed probato, quod malus poenituerit, seque emendaverit, ulterius esse malus non intelligitur.

## CASUS.

**T**heobaldus in minoribus constitutus, postquam Clericatum habitu & tonsurâ aliquo tempore professus esset, deponit habitum, & publicè pro Laico habetur, cum autem à Magistro violentiarum in enormitatibus deprehenderetur, se Clericum esse dixit, quod cum non crederetur. (A) In testem vocat

Sempronium, qui exceptione perjurii rejectus est. (B) Re cum Magistro violentiarum per solutionem pecuniæ compositâ servitio Episcopi se addicit, apud quem furti accusatur à converso, qui ante ab Episcopo cum ancilla turpiter agere inventus fuerat. (C) Unde Episcopus tum per se, tum per alios Theobaldi actibus



bus studiosius invigilat, (D) Ab ipso beneficium petens examini se sultere jubetur, in quo ob incapacitatem rejectus fuit. (E) Deserto servitio Romam profectus Episcopum de gravi crimine accu-

sat. (F) Et rescriptum cum clausula: *Si persona fuerit idonea*, ad beneficium impetret, quod tamen Episcopus ei, nisi idoneitatem probaverit, conferre recusat. (G)

RESOLUTIO.

(A) Clericus ut Laicus incedens Clericale non perdit privilegium, nisi tertio à Prælato suo monitus deposita seculari veste Clericalem assumpserit. *Cap. in audientia. 25. de sent. excom. Theobaldus* tamen sine tonsura & habitu in delicto deprehensus per exceptionem Status Clericalis, cum eam ad jurisdictionem Laicalem eludendam, & debitam pro excessu ultionem evadendam opponere præsumatur, censuram Judicis secularis subterfugere nequit, cum malitiam hominum indulgeri non debeat, sed potius obviari. *Cap. ex parte. 27. de privileg.*

(B) Si quis pejeraverit, per quadraginta dies pœniteat in pane & aqua, & septem sequentes annos, & nunquam sit sine pœnitentia. *Can. si quis pejeraverit. 4. caus. 22. q. 5.* Præterea nec testis post hoc, nec ad Sacramentum accedere, nec in sua causa, vel alterius jurator existere potest. *Can. parvuli. 14. caus. 22. q. 5.* Ideoque per *Regulam* Sempromius semel perjurus à testimonio ferendo justè repulsus fuit.

(C) Si *Theobaldus* in Episcopi servitio tanquam Clericus, & conservus ut Laicus versabatur, ab hoc iste judicialiter accusari non poterat, cum Laicis Clericos accusandi non competat facultas.

*Cap. cum Manconella. 10. de accusat.* Quamvis ex hoc, quod in libidinis turpitudine conservus fuerit deprehensus, fides ei non sit deneganda per *Regulam*, cum libidinosè agere, & calumniari diversi generis noiscantur esse delicta.

(D) Non tantum per *Regulam 2. lib. 5.* Episcopus res suas diligenter custodire, absque eo, quod *Theobaldum* furem esse judicaret, sed etiam per *Regulam* præsentem velut suspectum & in malitia semel inventum omni studio cavere valebat, nec ipsi injuriam per hoc faciebat, cum ex præteritis circa futura justa sit præsumptio. *Cap. mandata. 6. de præsumpt.*

(E) Omnes res & bona Ecclesiastica, beneficia, Ecclesiarum jura in Diœcesi ad Episcopi regimen pertinent. *Can. nullus. 11. caus. 16. q. 7.* Ideo providere incumbit Episcopo, ut beneficia dignis conferantur. *Theobaldum* ergo examini sistendo suum adimplevit officium.

(F) A denuntiatione Episcopi repellitur, qui eum non præmonuit. *Cap. si quis Episcopus. 2. de accusat.* Episcopi & alii Ecclesiæ Prælati non per quemlibet, sed per viros graves, providos & honestos accusandi sunt. *Arg. qualiter & quando. 24. & cap. fin. de accusat.* ne ad infamiam suorum quis facilè profiliat



Prælatorum. *Cap. cum dilectus, 2. de calumniat.* Hinc calumnia Diaconi à Subdiacono facta accusatio gravi multatur pœnâ in *cap. 1. de calumniat.* Dum Subdiaconatûs officio privatus, verberibus publicè castigari, & in exilium deportari jubetur. Nisi ergo quid singulare, quo animus Pontificis contra Episcopum moveri, & ad inquirendum incitari possit, accusator *Theobaldus* attulerit, omninò rejiciendus est.

(G) Juxta *Regulam* à *Theobaldo* capacitatis ad beneficium justè Episcopus exigit probationem, nec impetranti patro-

cinatur *cap. dudum. fin. de præsumpt.* ubi impetranti rescriptum ad beneficium cum clausula: *Si persona idonea fuerit,* necessitas se idoneum probandi non imponitur. *Cit. enim cap. rationem addit: Cum primâ facie præsumatur idoneus, nisi aliud in contrarium ostendatur.* Cùm verò *Theobaldus* semel ob incapacitatem in examine Synodali fuerit rejectus, nec eum ex post aliquando admissum fuisse constet, rectè adhuc incapax præsumitur; quapropter Episcopus ei providere non tenetur, nisi de novo examen subierit, & idoneitatem suam probaverit.



## REGULA IX.

*Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.*

**Q**uæres primo. Quid & quotuplex est fictio juris?

ꝛ. Fictio juris est, quando jus fingit aliquid esse, quod non est, & hæc triplex est: *Inductiva, privativa & translativa.* Fictio *inductiva* est, quando lex vel Canon fingit aliquid esse, quod non est, sic defunctum in jacente hæreditate fingit vivere, qui tamen non vivit. *L. non minus, 31. ff. de hered. instituend.* Fictio *privativa* est, quâ aliquid non esse fingitur, quod re ipsâ est, ut Religiosus, qui vivit, pro mortuo habetur. *Can. placuit, 8. caus. 16. q. 1.* Demùm *translativa* est, quando actus ab uno agente, uno tempore, uno loco, aut

modo factus à jure habetur, quasi ab alio agente, alio tempore & loco gestus fuisset, ita ratum habens vel approbans, quod à Procuratore suo nomine gestum, facit, quod suo nomine actum ab alio, fictione *translativâ* ab ipso met gestum reputetur. *L. quo enim, 12. ff. rem ratam hab.*

Quæres 2. Quis hujus Regulæ sensus?

ꝛ. Id, quod ab alio gestum est, ut quis ratum habendo per translative juris fictionem suam faciat, requiritur, ut agens rem non proprio suo, aut alterius tertii, sed ipsius ratihabentis nomine illam gesserit. Ratio est: quia vera ratihabitio facit negotium per fictionem juris translative suum, negotium autem, quod



quod neque per nos, neque per eos, quos in potestate habemus, neque mandato nostro effectum est, nostrum fieri nequit, nisi nostro perficiatur nomine, ut enim nostrâ ratihabitione negotium fiat nostrum, ejus à quo, & cujus negotium facimus, mutuus requiritur consensus. Exemplum est: Titius Clericum suum inimicum proprio nomine indignè tractat, quamvis ego factum Titii comprobando ratumque habendo graviter delinquam, excommunicationem tamen non incurro, quia percussio non meo, sed Titii nomine facta est. *Cap. cum quis, 23. de sent. excom. in 6.*

Quæres tertio, Qui sunt casus ab hac Regula excepti?

g. Sequentes: 1<sup>mus</sup>, Electionem

Praelati Capitulares absentes à praesentibus contempti, nec ad electionem vocati propter bonum pacis ratificare possunt. *Cap. quod sicut, 28. de elect. 2<sup>us</sup>.* Donationem Ecclesiæ à Laico indebitè factam Episcopus licitè & validè ratificat. *Cap. cura, 11. de inrepatron. 3<sup>ius</sup>.* Alienatio rei Ecclesiasticæ à Praelato facta per Capitulum ratificari potest. *Cap. cum nos, 3. de his, que sunt à Praelat. 4<sup>us</sup>.* Venditionem & oppignorationem rei suæ ab alio nomine proprio attentatam Dominus ratificando validare potest. *L. si fundus, 16. ff. de pignor. & hypoth. 5<sup>us</sup>.* Si pater vel dominus negotium à filio vel servo proprio nomine gestum ratificat, suum facit. *L. si res, 5. ff. de in rem verso.*

## C A S U S.

*V*incentius Capituli Collegiati Decanus, sciente nec contradicente Capitulo partem decimarum vendit. (A) Pro superfluo tamen venditionem à Capitulo postea ratificari curat. (B) In ratificationem consenserunt omnes Canonici duobus exceptis, quorum unus graviter in Decanum in vestus varias calumnias ei publicè in Capitulo objecit. (C) Quod audientes servi Decani, rei indignitate commoti, pro vindicando Domino, cui gratum futurum, quod agebant, existimabant, Canonicum istum

egregiè delumbârunt. (D) Quo cognito fervorem factum laudavit & approbavit Decanus. (E) Peccati tamen gravitatem agnoscentes servi ex rebus Decani excessivas nomine ejus fecerunt elemosynas, quod ipse resciciens laudavit. (F) Ad extrema deveniens è patrimonio suo villam cum jure patronatûs monasterio Canonicorum Regularium, Zenodochio verò centum Imperialium annuos redditus inscio, sed ratihabente postea Episcopo donavit. (G)

## R E S O L U T I O.

(A) Alienationes rerum Ecclesiasticarum, si temporales fuerint,

factæ Capitulo sciente nec contradicente tolerantur per *cap. continebatur, 2. de his,*

G 3

qua



quæ sunt à Pralat. Perpetuæ tamen, quales sunt donatio, venditio, vel commutatio, irritæ sunt, nec in ullo foro valorem obtinent, quia collaudatio & subscriptio Clericorum seu Capituli intervenire debet. *Cap. 1. de his, quæ sunt à Pralat.* Ex quo patet non sufficere Capituli enim scientia taciturnitatem.

(B) Non erat superflua Capituli ratificatio, cum sine ea, ut dictum, contractus venditionis invalidus esset; Capitulum autem alienationem, etiam eo reclamante, factam ratihabendi obtinere facultatem liquet ex *cap. cum nos. 3. de his, quæ sunt à Pralat. &c.*

(C) Quamquam alienationi illegaliter facta quilibet de Collegio Canonicus contradicere, remque sic alienatam cum fructibus repetere valeat. *Cap. si quis Presbyterorum. 6. de reb. Eccles. non alienand.* Ratificatio tamen à majori & saniori parte Capituli facta obtinebat, in rebus enim Capitularibus nisi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit & ostensum, appellatione remotâ prævalet temper, & suum consequitur effectum, quod à majori & saniori parte Capituli fuerit constitutum, *Cap. 1. cap. ex parte. 4. de his, quæ sunt à maj. part. Cap.* Quare si absque consensu duorum contradicentium in ratificationem major & sanior pars Capituli condescendebat, ratificatio subsistebat, cum unus in Decanum excandescens suâ passione se à saniori parte non esse probaret, propter excessum contra Superiorem graviter puniendus. *Arg. cap. dilectus. 11. de pœnis.*

(D) A servis tamen Decani puniri non

poterat, ideoque ipsi Canonicum percutiendo enormiter deliquerunt, & excommunicationem, etsi occultè factum perpetrârunt, summo Pontifici reservatam incurrerunt. *Cap. non dubium. 5. cap. porro. 7. cap. tua nos. 19. de sent. excom.*


(E) In *cap. cum quis. 23. de sent. excom. in 6.* statuitur, quod cum quis absque mandato manus injicit in Clericum nomine alterius, si iste hoc ratum habuerit, excommunicationem latam à Canone incunctanter incurrat, cum ratihabitio retrotrahatur, & mandato debeat comparari. Cum igitur servi vindictam nomine Domini in personam Canonici exercuisse videantur, ipsum Decanum factum iniquum approbantem & ratihabentem excommunicationis sententiam incurrisse non ambigitur.

(F) Domestici quamquam facultatem pauperibus ex rebus Domini eleemosynas largiendi habeant, ea tantum de ordinariis intelligenda est eleemosynis, unde servi extraordinarias dare nequibant; quia autem excessum nomine suo factum Decanus ratificavit, servi ab onere restitutionis liberi existunt. *Arg. L. si indebitum. 16. ff. rem ratam haberi.*

(G) Episcopus donationem Zenodochio factam licitè ratificat. *Cap. cura. 11. de jure patron.* Ad acquirendum autem jus patronatus Ecclesiæ Regularium donatum nec consensus, nec ratificatio Episcopi requiritur, quamvis per talem donationem juri Episcopali non derogetur.

*Cap. illud. 8. cap. cum seculum. 12. de jure patron. cap. unicus. cod. in 6.*





## REGULA X.

*Ratihabitionem retrahere, & mandato non est dubium comparari.*

**Q**uæres primo. Quis hujus Regulæ sensus?

*Re.* Approbatio, quâ actum vel negotium nomine nostro ab alio gestum ratum habemus, fictione juris retrahitur ad tempus, quo factum est, & vim mandati habet, quod non valet tantum in contractibus aliisque judicialibus vel extrajudicialibus actibus, sed etiam in beneficiis & causis spiritualibus speciale mandatum exigentibus.

Quæres secundo. Quæ in ratihabitione, ut hujus Regulæ effectum habeat, conditiones requiruntur?

*Re.* Sequentes: 1<sup>mo</sup> requiritur, ut persona habens actum ab alio suo nomine gestum, eo tempore, quo actus positus est, illum producere potuerit. Sic

furiosus vel amens ratificare nequit illa, quæ suo nomine tempore furoris gesta sunt, eò quòd pro illo tempore hæc demandare nequirit. 2<sup>do</sup>. Ratihabitione eo tempore fieri debet, quo, si actus nondum positus, ex mandato ratihabentis adhuc poni posset, ideo appellationem à sententia meo nomine ab alio post lapsum fatalium interpositam ratificare non possum. 3<sup>io</sup>. Tempore ratificationis res integra, sive omnia in illo statu esse debent, in quo tempore gesti negotii fuerunt. 4<sup>to</sup>. Mandatum aut consensus de substantia actus esse non debet. 5<sup>to</sup>. Actus vel negotium ratihabitione roborandum tale esse debet, ut per alium geri valeat.

### C A S U S.

**V**itus Sempronii in Curia Romana Procurator, cum sponsam, quam Venetiis habebat, à multis appeti audiret, ne Sempronius per moram eâ frustraretur, cum ipsa nomine Principalis matrimonium contrahit, eique per litteras significavit, ut quamprimum ratihabendo actum consentiret, quod & fecit Sempronius. (A) Dum matrimonio contrahendo *Vitus* occuparetur,

sententia contra Sempronium fertur, à qua *Vitus* post lapsum fatalium nomine Principalis appellavit, qui & appellationem ratam habuit. (B) Appellatione rejectâ *Vitus* cum adversa parte transegit, quam transactionem Sempronius pro parte ratificavit, & pro parte rejecit. (C) Interea Sempronius in Curia Romana pro filio suo contra Cajum beneficiariam litem accipit, hinc *Vitus* occasionem nactus



nactus Sempronium propter primam litem perditam offensum placandi, rescriptum contra Cajum in favorem filii Sempronii impetrat, cuius impetrationem Sempronius quantocius ratihabuit. (D) Rescripto cassato informatur *Vitus*, unde ad iudicium citatus non comparuit, sententiã nihilominus contra Sempronium pronuntiata. (E) *Vitus* ad summum Pon-

tificem pro rescindenda injuste lata sententia appellat, & Sempronius appellationem indebitè interpolitam ratificans. (F) *Vito* alium adjungit Procuratorem, quo facilius agente litem contra Cajum evicit cum conditione, ut filius Sempronii beneficium obtineret, Cajo autem quot annis ex beneficij fructibus 100, Imperiales solveret. (G)

## RESOLUTIO.

(A) **U**T matrimonium per Procuratorem contractum validum sit, Procuratorem ad hoc speciale mandatum habere necesse est. *Cap. fin. de procurat. in 6.* Quo cum careret *Vitus*, invalidus erat matrimonii contractus, nec Sempronii ratihabitione revalidatur, cum mandatum speciale & consensus de substantia matrimonii esse noscantur.

(B) Si *Vitus* citatus ad sententiam ex legitima causa Judici ignota non comparuit, tenet sententia eo absente lata, sed retractatur eo probante legitimam absentie causam. Si impedimentum plene non probatur, sententia non retractatur, nisi de ipsius iniquitate doceatur. *Cap. cum Bertoldus. 18. de sent. & re iudicat.* Post lapsum fatalium nulliter *Vitus* appellavit. *Cap. cum sit. 5. de appellat.* Cum igitur Sempronius post fatalia appellationem interponere non posset, à Procuratore suo taliter interpositam in vim *Regule* ratihabere quoque nequibat.

(C) Transactionem à Vito nomine Principalis factam Sempronius pro parte ratificare, & pro parte reprobare poterat. *Arg. L. cum debitore. 17. ff. rem ratam haber.*

(D) Si *Vitus* ad impetrandum rescriptum contra Cajum speciale mandatum non habuerit, impetratum non subsistit. *Cap. nonnulli. 2. §. sunt & alii. cap. ex parte Decani. 33. de rescript.* Licet Sempronius, cuius nomine impetratum erat, id postea ratum habuerit. *Gloss. in Regulam presentem verb. ratihabitionem.* Et hoc facit jus acquisitum illi, contra quem facta est impetratio, quod ab iplo invito & ignorante avelli non potest.

(E) Si *Vitus* infirmus ad iudicium citatus infirmitatis causã sese excusaverit, non valet sententia contra absentem pronuntiata. *Cap. querelam. 2. de procurat.*


(F) Procurator pro interesse Domini sui ad summum Pontificem appellare poterat. *Arg. cap. dilectus. 11. de procurat.* Appellationem quoque Sempronius per *Regulam* rectè ratificavit.

(G) Qualiter constituti duo Procuratores agere valeant ac debeant, exprimitur in *cap. si duo. 6. de procurat. in 6.* In causã spirituali & beneficiaria, uti hic erat, Judex ex duobus Procuratoribus simpliciter datis eligit magis idoneum, qui causam solus prosequi debet, nec alius



alius admittitur, nisi primo legitime excluso, aut impedito. Per sententiam hanc non ipsum beneficium, sed Beneficiatus, quamdiu vixerit, manet obligatus, quo defuncto onus solvendi 100.

Imperiales non afficiat beneficium, ita, ut Successor in eo ad præstationem allegatæ summæ pecuniariæ minimè teneatur. *Cap. nisi essent. 21. de præbend.*



## REGULA XI.

*Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.*

**Q**uæres primo. Qui dicuntur partes?  
**R.** Illi, qui super re aut causa quadam coram legitimo Judice litigant, ex quibus, qui prior ad iudicium provocat, & in eo actionem vel accusationem proponit, in civilibus actor, in criminalibus accusator appellatur; reus verò dicitur is, qui ad iudicium tractus, actionem vel accusationem propulsando, contra actorem sese defendit. Jura partium sunt probationes, ut litigantis confessio, testium depositio, instrumenta, sive scripturæ privatæ sive publicæ, præsumptiones, juramenta, aliæque obligationes in vim probationis productæ, in quibus intentionem suam actor, & reus exceptionem fundare nuntur. Hæc partium jura sunt obscura, quando Judex ponderatis omnibus pro & contra utramque partem productis, quæ aliis prævaleant, discernere non potest.

Quæres secundo. Quis hujus Regulæ sensus?

**R.** In casu, quo probationibus & allegationibus omnibus æquo iudicio ponderatis, quæ alteri prævaleant, non apparet, reo potius, quam actori favendum, ita, ut reus potius per sententiam sit absolvendus, quam condemnandus.

Quæres tertio. Quæ Regulæ ratio?

**R.** Æquitas hujus Regulæ in hoc consistit: actor in iudicium spontè descendit & paratus, reus invitus ad iudicium trahitur, actor habet se per modum agredientis, reus est defensor, vim actoris repellendo, reus pugnat pro libertate, in cuius est possessione, actor certat pro rei obligatione & servitute; dictat autem naturalis æquitas, magis favendum ei, qui invitus ex necessitate se defendendi iudicium subibit, quam qui volens alterum aggreditur, & non raro ex mera intolentia vel cupiditate ad iudiciale provocat certamen.



## C A S U S.

*Winandus* filiam suam primò genitam desponsans *Ansberto*, secundò genitam hæreditati renuntiare & monasterium intrare coëgit. (A) *Ansbertus* cum socero *Winando* rixas accipiens in verba irreverentiam sonantia prorupit, ideòque à *Winando* judicialiter accusatur, cùmque utriusque probationes ejusdem ponderis essent, dubitat *Judex*, cui juramentum litis decisorium deferendum, cùm utraque pars ad illud se offerret. (B) Re tamen amicabiliter composità *Ansbertus* dotem petit, quam cùm *Winandus* dare detrectaret, *Ansbertus* causam judicialiter instituit, & quamvis dotis solutionem sibi deberi plenè non probasset, *Judex* tamen pro parte ejus inclinatur. (C) Interea mulitur de impedimento affinitatis *Ansbertum* inter & uxorem filiam *Winandi*, qui matrimonium, ne dotem solvere cogeretur, solvi optans, testem de impedimento affinitatis attestantem producit. (D) Cùmque res protraheretur, *Winandus* filiam suam ab *Ansberto* dolosè abstractam domi recludit, quam

sibi utpote spoliato *Ansbertus* restituit & impetrat. (E) *Winandus* *Ansberto* plenè reconciliatus eique omnia bona sua cedens à monasterio, in quo filia ejus secundò genita erat professa, ratione dotis & successionis in hæreditate impetitur, contra quod *Winandus* filiam successionis & juri ad hæreditatem renuntiassè excipit. (F) Imò filia contra Professionem reclamatur, sed cùm dubium esset, an Professionem liberè ratificaverit, *Judex* pro Professione judicat. (G) In causa successionis *Winandus* contra monasterium simul legem amortizationis opponit, ex quo capite illud totaliter excludere conatur. (H) *Judex* aliàs Regularium Orator præsentem Regulam arripit, & ex ea *Winandum* absolvit, sub prætextu, quòd partium jura essent obscura. (I) Cùm monasterium à sententia appellasset, res ad compositionem venit, cum pacto, ut monasterium in bonis allodialibus æqualiter cum filia primò genita, non autem in feudilibus succederet. (K)

## R E S O L U T I O.

(A) **R**enuntiatio gravi metu extorta est invalida. *Arg. L. si donationis. 7. C. de his, que vi metusve &c.* Præterquam quòd renuntiatio paternæ hæreditatis à filia facta omninò reproberetur & infirmeretur per *L. pactum. 3. C. de collation.* Ex dispositione *Trident. Sess. 25. de*

*Regular. cap. 18.* anathemati subjiciuntur omnes & singuli, cujuscunque qualitatis vel conditionis fuerint, qui quomodocunq; coëgerint aliquam virginem vel viduam aut aliam quamcunque mulierem ad ingrediendum monasterium vel ad suscipiendum habitum cujuscunque



que Religionis, vel ad emittendam Professionem, &c. Ex quo patet *Winandum* excommunicationis vinculo esse innodatum.

(B) Si *Winandus* in probatione omnino deficiebat, *Ansbertus* reus, etsi nihil probaverat, obtinere & absolvi debebat. In dubio autem, & præsumptione pro actore *Winando* stante juramentum *Ansberto* reo ad ostendendam suam innocentiam deferendum erat. *Cap. fin. §. sane. de jurejur.*

(C) Causa dotis est favorabilis & perpetua. *L. 1. §. 2. ff. de jure dot.* Hinc juxta *Gloss.* in *Regulam* nostram *verb. cum sunt partium*, exceptio est à *Regula*, nisi actor causam favorabilem, puta matrimonii, libertatis, testamenti, vel dotis foveat, tunc enim actori est favendum.

(D) Conjugium jam contractum multum favoris obtinet, ideòque testes contra illud de auditu testantes, minus validum perhibent testimonium. *Cap. tua nos. 7. de consang. & affin.* Et si vir & uxor aliquot annis sine quæstione simul fuerunt, qui matrimonium jam accusant, suspicione carere non videntur. *Cap. 1. qui matrim. accusat.* Unde repelluntur, qui illud propter quæstum accusant, vel tempore denuntiationis tacuerunt. *Cap. significante. 5. cap. cum in tua. 6. qui matrim. accusat.* Dictum quoque unius testis etiam matris aut patris de impedimento deponentis matrimonii vinculo non officit, illud enim sine plurium juramento dissolvi non debet. *Cap. super eo. 22. de testib.*

(E) *Winandus* filiam suam à vero ma-

rito separando peccavit, ideòque cum probationes contra matrimonium contractum sufficientes non essent, justè *Ansbertus* petiit & obtinuit uxoris suæ restitutionem. *Cap. litteras. 13. de restitut. spoliat.*

(F) Cum juxta dicta renuntiatio à filia secundò genita minis & gravi metu extorta invalida sit, non est dubium, quia monasterium, in quo ipsa validè est professà, in quotam patrimoniale succedat, bona ergo à *Winando* legaliter cessà *Ansbertum* inter & monasterium æqualiter erant dividenda.

(G) In dubio hoc distinguendum est, vel enim dubitat de facta ratificatione, vel certum est, ratificationem esse factam, sed dubitatur, an deliberatè facta fuerit. In primo casu videtur dicendum cum *Gloss. cit.* pro favore libertatis professam necdum obligari. *Arg. L. Lege Junia. 24. ff. de manumiss.* ubi dicitur, quòd si testes non dispari numero tam pro libertate, quàm contra libertatem dixerint, pro libertate pronuntiandum esse. In altero casu per *Regulam* favendum est reo, scilicet ratificationi, contra quam agit, nec probat professà indeliberationem, quia deliberatio actibus humanis inesse præsumitur, unde eam abfuisse probandum est.

(H) Exceptio frivola, frustratoria & omnino inutilis est, siquidem statutum illud invalidum est & inane, magis Principum hujus sæculi autoritate & potentia, quàm ratione vallatum, cum 1<sup>mo</sup> Immunitati Ecclesiasticæ. 2<sup>do</sup>. Equitati. 3<sup>tio</sup>. Pietati. 4<sup>to</sup> Reipub. bono. 5<sup>to</sup>. Sanæ fidei. 6<sup>to</sup>. Juri Divino, Cano-




nico & civili repugnet, quæ omnia hic exprimere prolixum nimis foret. Quid jus civile de similibus statutis sentiat, docet integer *titulus de sacrosanct. Eccles.* ubi specialiter notanda est *authent. cassa.* omnes & quascunque consuetudines libertati & personis Ecclesiasticis adversantes cassans & irritans. Item *authent. si qua mulier.* ubi bona Professorum ad monasteria pertinere dicuntur. Item *L. si quis donaverit.* ubi qui rem etiam immobilem loco pio donasse dicitur, solutionem præstare jubetur. Item *L. quoniam. fin.* ubi testamenta etiam de bonis immobilibus in causâ piæ favore facta laudantur, approbantur, & in quibuscunque observari mandantur.

(I) Quod renuntiatio à filia *Winandi* per metum & coactionem facta, & peremptoria, ut putabat, legis amortizationis exceptio, invalida sint, nulla est obscuritas, & veritatem Judex agnovisset, si passione contra Regulares mentis oculus læsus non fuisset. Hinc male applicando *Regulam* injustam pronuntiavit sententiam

(K) Secundum Canones Clerici &

Religiosi feuda habere possunt, de Clericis patet per *cap. ex transmissa. 6. cap. verum. 7. de foro compet.* De Religiosis constat ex *cap. un. §. verum. de Statu Regular. in 6.* Ad quæstionem autem: an monasterium in bona feudalia professi succedat, respondet *Fagn. in cap. que in Ecclesiarum.* Quod à Doctoribus ferè omnibus in eam sententiam itum sit, ut, si feudum requirat personale servitium, quod à vasallo Religioso nec per se, nec per substitutum præstari valeat, tunc minimè transeat ad monasterium, sed statim agnatis vel domino aperiatur: si verò tale requirat servitium, quod à Religioso vasallo vel per se, vel per substitutum honestè præstari possit, hoc casu benè transeat in monasterium, durante tantum vitâ naturali ipsius professi. Jura autem Clericos & Religiosos à feudis excludentia restringi debent, & ad limites rationis, cui innituntur, reduci. Non potuit ergo universaliter monasterium à successione in feudalibus excludi, nisi ex sui natura sint talia, quæ tantum ad hæredes sanguinis transeunt, & generi ac familiæ remanere solent.



## REGULA XII.

*In judiciis non est personarum acceptio habenda.*

**Q**uæres primo. Quid in hac Regula per nomen *judicium* significatur?

*R.* Intelligitur hoc nomine quilibet actus, in quo propter justitiam vel com-

mutativam, vel distributivam meritorum, qualitatum & aptitudinis unius præ alio habenda est ratio.

Quæres secundo. Quid est personarum acceptio?

*R.*



Et. Est vitium, quo id, quod ex justitia debetur, uni personæ propter ejus conditionem & qualitates nihil ad debitum contribuentes præ altera, quæ in jure, meritis, dignitate superat, confertur, ut si beneficium consanguineo, qui extraneo consanguineum idoneitate superanti præfertur, solo carnis conferratur affectu.

Quæres tertio. Quis hujus Regulæ sensus?

Et. Non solum in judicio forensi, sed etiam in dignitatum, beneficiorum, officiorum collatione, in onerum communium distributione, cæterisque actibus, quibus aliquid bene meritis, vel certam qualitatem habentibus debitum ex justitia vel commutativa vel distributiva tribuendum est, id aliis tribui non

debet intuitu conditionis vel qualitatis ad id, quod tribuitur, non conferentis. Ratio est: quia justitia requirit æqualitatem, commutativa quidem arithmetica, quâ tantum detur, quantum debetur, distributiva geometricam, quâ bona vel onera communia, dignitates, munera publica personarum meritis, qualitatibus, idoneitati, aut facultatibus ita respondeant, ut his inter se comparatis, qui meritis, qualitatibus, vel capacitate alium superat, vel ampliores habet facultates, tantò honoratius munus, vel de bonis communibus plus consequatur, vel ad publicam necessitatem plus conferat, quantò alios meritis, idoneitate, qualitatibus vel facultatibus excedit.

### C A S U S.

*W*lricus Aulicus Principis Sacellanus electione habitâ, an velit fieri Pastor in populo oppido, ubi ut plurimum moratur, an in pago, oppidi elegit pastoratum. (A) Factus ergo Pastor durum se & morosum communi plebi, perhumanum verò primis & honoratioribus semper se exhibuit, hinc 1<sup>mo</sup> pauperibus & minus habentibus ministeria parochialia non præstat, nisi prius solutis juribus, cum ea tamen ditioribus remitteret. (B) 2<sup>do</sup> in catechesi divitum filiis pretiosa munuscula, pauperibus nihil distribuit. (C) 3<sup>tio</sup> primos oppidi mensæ suæ continuos habet convivales, pauperes etiam infirmos, quantumcunque rogatus, ne quidem micâ alit. (D)

4<sup>to</sup>. Divitibus infirmis diu nocturne assistit & ministrat, pauperes præbitis obiter Sacramentis omninò deserit. (E) 5<sup>to</sup> pauperes malè reectos hyemis tempore per tres quatuorve horas in templo pro confessione facienda expectare permittit, cum divitibus audiendis non tantum statim accurrat, sed etiam pulvinaria, ut molliter flectant, propriis manibus substernat, levésque pœnitentias imponat. (F) 6<sup>to</sup> Sacellanos suos plurimo anni tempore Parochiale officium facere sinit, dum ipse Principi Sacrum legit, ejusque mensæ accumbit. (G) 7<sup>mo</sup> à divite & paupere litigantibus in arbitrum electus, dum laudum pronuntiat, non tantum divitem juxta se sedere, pauperem au-

H 3

tem



tem nudo capite stare jubet, sed etiam cum partium jura essent obscura, pro divite pronuntiavit, dum tamen pauper reus erat. (H) Ad extrema deveniens nihil Ecclesie vel pauperibus reliquit, sed

omnem pecuniam, suppellectilem aliaque mobilia pretiosa inter divites suos donando distribuit, & pauperibus exultantibus expiravit. (I)

## RESOLUTIO.

(A) EX hoc casu patet non esse consultum, quod Aulicos suos ministros Patroni faciant Pastores; vix enim exiunt aulicismum cum officio pastorali simpliciter impossibilem, quem ipsa electio, quam fecit *Wiricus*, abunde probat, hunc, quia inter rusticos & paganos exercere non poterat, elegit oppidanos, non ponderans officium & qualitates in Pastore requisitas à *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 1. & Sess. 24. de reform. cap. 12.*

(B) Parochus in jure etiam plebanus dicitur. *Cap. scriptum est. 40. de elect.* utique à plebe, cui tanquam pater præficatur. Contra *Regulam* ergo peccat *Wiricus* plebem quasi se indignam tractando, & honoratioribus servili humanitate plus, quam decet, deferendo. Non est praxis timoratorum, quod ministerium spirituale non præstetur, nisi solutis prius juribus consuetudine aut statuto taxatis; licet enim ea tanquam titulo sustentationis debita Pastor in jure fundatam habeat intentionem, anticipatam tamen eorum solutionem urgere, avaritiam sapit, præfert mercenarium, & simoniam involvit. *Cap. in tantum. 36. de simon.*

(C) Præcipit *Trident. Sess. 24. de reform. cap. 4.* ut Parochi saltem Domini-

cis & Festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta doceant, contra *Regulam* tamen iterum delinquit *Wiricus* pauperibus adolescentibus pro præmio vel animatione nihil, ditioribus omnia distribuendo; si enim conformiter *Trident. loc. cit. cap. 7.* in catechesi sacra eloquia explananda, & salutis monita omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserenda, quanto magis inutiles hæc & parciales munusculorum largitiones Parocho sunt evitandæ, quibus officium Parochiale contemni, & salutis monita noscuntur vilipendi.

(D) Juxta *Trident. Sess. 23. de reform. cap. 1.* præcepto Divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas bonorum operum omnium exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, &c. ideo & hic *Regulam* offendit *Wiricus* pauperes præsertim infirmos pro posse non pascendo. *Arg. can. nulli. 62. caus. 16. q. 1.* Si igitur Pastor ad exemplum Christi opportuno tempore animam suam pro ovibus exponere obligatur. *Can. adversitas. 48. caus. 16. q. 1.* Quomodo *Wiricus* pro eis dabit animam, qui ipsis mensæ suæ dare recusat micam? (EF)



(EF) Ex his patet *Wiricum* non tam esse divitum pastorem : quàm servum nec satisfacit obligationi suæ infirmos quandoque non visitando, estque mollis Sacramentorum minister, dum honoratioribus ad pœnitentiam accedentes non pœnitentium, sed convivarum more tractat, attendere deberet ad id, quod docet *Trident. Sess. 14. de pœnitent. cap. 8.* Debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutare & convenientes satisfactiones injungere: ne, si fortè peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem. Dum igitur *Wiricus* pauperes suos cum impatiencia & afflictione pœnitentiam expectare permittit, non tantùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam delinquit, ipsisque Sacramentum pœnitentiæ facit esse forum iræ & pœnarum, contra *Regulam*, personarum acceptioem in Divino hoc judicio vel maximè prohibentem.

(G) Pastor pro semetipsum oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre,

verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, & in cætera munia pastoralia incumbere debet. *Trident. cit. Sess. 23. de reform. cap. 1.* quod ab eodem iteratò declaratur & præcipitur. *Sess. 24. de reform. cap. 4. & 7.* Ideo peccavit *Wiricus* in Sacello Aulico diebus Dominicis & Festivis celebrando, & officium pastorale Sacellanis committendo.

(H) Palpabiliter contra *Regulam* egit *Wiricus* offendens quoque præceptum *S. Jacobi Apost.* in Epistola sua Canonica *cap. 2.* acceptioem personarum inter Christianos pro tali casu damnantis. Laudi iniquitas ex præcedente *Regula* satis apparet, cum reo favendum fuisset. Unde cum constet *Wiricum* nequiter arbitrarium, laudum servandum non est. *Arg. cap. non sine. 2. de arbitris.*

(I) Clerici viventes & sui compotes moderatè valent aliqua de bonis, quæ per Ecclesiam adepti sunt, non ratione testamenti, sed eleëmofynæ intuitu erogare in ægritudine constituti. *Cap. ad hæc. 8. de testam.* Propria quidem & intuitu Ecclesiæ non acquisita *Wiricus* pro arbitrio suo distribuere poterat, ratione autem officii pastoralis aut Ecclesiæ parochialis comparata ad eam devolvebantur, ideòque ea divitibus suis dare nequebat infelix Pastor. *Cap. relatum. 12. de testam.*





## REGULA XIII.

## Ignorantia facti, non juris excusat.

**Q**uæres primo. Quid & quotuplex est ignorantia?

Re. Ignorantia est carentia scientiæ; in quo distinguitur ab errore, qui est intellectus falsò judicantis judicium. Ignorantia alia juris, alia facti. Ignorantia juris est, quando quis legis, Canonis, legitimæ consuetudinis caret notitiâ, ut nescio, quod lucrum ex mutuo prohibita sit usura, quòd cum certis solemnitatibus instituenda sit rei sacre alienatio, quòd percutiens Clericum Papæ reservatam incurrat excommunicationem. Ignorantia facti est: quando aliquid factum vel ommissum nescitur, ut non scitur, an mutuarius aliquid ultra sortem dederit, an in alienatione rei sacre & Ecclesiasticæ servata juris solemnitas, an percussus fuerit Clericus. Ignorantia facti alia est facti proprii, dum non scio, an quenquam percusserim, alia facti alieni, ut nescio, an Petrus Clericum percusserit. Ignorantia tam juris quàm facti alia vincibilis, alia invincibilis. In foro externo invincibilem, probabilem ac justam ignorantiam habet ille, qui nescit id, quod status ejus vel conditio non requirit; e contra nesciens, quòd conditio vel status illius scire ipsum exigit, vincibilem habet ignorantiam: quia qui-

libet id, quod status ejus vel conditio requirit, scire præsumitur. In foro interno invincibili laborat ignorantia, qui ignorat id, quod hic & nunc scire nequit; vincibilem autem habet ignorantiam, qui ignorat id, quod non ignorare tenetur, & scire hic & nunc valeret. Ignorantia vincibilis crassa est in eo, qui ad id, quod scire debet, nullam vel exiguam saltem adhibuit diligentiam. Ignorantia affectata est in eo: qui id, quod scire debebat, scire non voluit, aut ne sciret, impedivit, ut liberiùs peccaret: *Noluit intelligere, ut bene ageret, Psal. 35.*

Quæres secundo. Quæ ignorantia juxta hujus Regulæ sensum excusat?

Re. 1mo. Ignorantia crassa & affectata sive juris, sive facti non excusat: quia ignorare id, quod quis facile scire potest, deperditi, socordis & inexcusabilis hominis est. *L. plurimum. 3. L. nec supina. 6. L. Regula. 9. ff. de jur. & facti ignor.* Crassa & affectata ignorantia scientiæ æquiparatur. *Cap. fin. de constitut. in 6. cap. eos qui. de tempor. ordinat. in 6.* Scire enim & scire debere, & scire posse paria sunt. *Cap. fin. de clandest. desponsat.*

2do. Probabilis & justa facti alieni ignorantia in foro externo excusat. *L. in omni. 2. ff. de jur. & fact. ignor.* quia nullus facta aliena scire tenetur. 3tio.



310. Proprii facti ignorantia non excusat. *Cap. ab excommunicato. 41. de re scripti.* quia nemo prudens factum proprium, nisi jam multi intercessissent anni, ignorare præsumitur.

410. Ignorantia legis, Canonis vel receptæ consuetudinis in foro externo non excusat, ubi agitur de lucro acquirendo, ideoque error juris non prodest ad præscriptionem. *L. juris. 7 ff. de jur. & facti ignor.* de damno tamen vitando agentibus non obest: quia error propriæ rei amittendæ causa sufficiens non existit.

510. Ignorantia invincibilis, non tamen vincibilis, à legis transgressione præsertim in foro interno excusat.

610. Ignorantia etiam invincibilis pœnæ legi adjectæ à pœna legem transgredientem non excusat. Ignorantia vincibilis, dummodo affectata, vel crassa non sit, à pœna medicinali v.g. excommunicatione, propter contumaciam & inobedientiam lata excusat.

Quæres *quartò*. Quæ sunt ab hac Regula exceptiones?

*1. Sequentes: 1ma.* Quando jus est ambiguum, ignorantia juris excusat, ut etiam acquirere volentibus non noceat. *2da.* Milites, mulieres, minores, rustici, qui jura ignorare præsumuntur, propter juris ignorantiam excusantur.

C A S U S.

**Z**afus Ecclesiæ Collegiæ Aedituus cum manè Ecclesiam aperire vellet, invenit Canonicum in atrio ejus apertionem templi expectantem, quem furim arbitratus graviter percussit, quamvis sciret hunc Canonicum devotionis gratiâ primum semper ad templum venire. Accusatus excusat se, quod Canonicum fuisse ignoraverit. (A) Idque juramento affirmate paratus est (B) Dum altare ornat, in dispositione Ss. Imaginum & Reliquiarum turbatus, mox hanc imaginem diabolum, alteram canem, tertiam alio injurioso nomine compellat, de super correptus dicit, hæc & similia ædituis propter familiaritatem, quam habent cum Deo, licere. (C) Corporalia & purificatoria, et si laicus esset, lavabat, de quo monitus

*R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.*

respondit, quod hoc ad officium æditui pertinere putaret. (D) Reprehensus, quod Ecclesiam pulveribus & sordibus repleri permetteret, ornamenta reparari non curaret, & munditiam in rebus Sacris non quæreret, dicit, Deum odisse in domo sua superbiam (E) Jussus, ut nominatim excommunicatum, quem facie non noverat, à templi foribus arceret, eum non tantum ad divina, sed etiam ad mensam suam admisit. (F) Factus religiosus ab Episcopo SImoniaco Ordinatur (G) Postremo in Abbatem est electus, quem tamen Episcopus, nisi præstitâ prius pecuniæ summâ confirmare noluit, pecuniam in scio *Zafus* solvant religiosi, & sic confirmatus fuit.

I

R E



## RESOLUTIO.

(A) **S**I *Zafius* somnum plenè excussisset, sensulque Collegisset, expectantem in atrio Ecclesiæ fuisse Canonicum illum, quem quotidie templi apertionem prævenire sciebat, advertere potuisset. Unde an ignorantia ipsum à censura excuset, non sine fundamento dubitatur. Pro *Zafio* militare videtur *Cap. si verò. 4. de Sent. excom.* Ubi dicitur, quod percutiens Clericum, ignorans probabiliter eum esse Clericum, excommunicatus non fit, nisi violenter contra oblivionem vel ignorantiam præsumatur, juxta *Cap. cum illorum. 32. de Sent. excom.* Ubi tamen ad incurSIONem Censuræ requiritur, ut quis scienter, & in contemptum Ecclesiasticæ disciplinæ factum prohibitum committat.

(B) *Zafius* ignorantiam, quod scilicet eum, quem percussit; Clericum esse ignoraverit, Juramento probare potest, quod juramentum si in dubio præstare recusat, pro excommunicato habendus est. *Cit. cap. si verò.*

(C) *Zafius* contra *Regulam 7. in lib. 5. quidquid in sacris DEO rebus & Episcopis injuste agitur, pro Sacrilegio reputatur: quia Sacra sunt, & à quo quam violari non debent,* graviter peccavit, nec eum ignorantia, eum sit juris, excusare poterit.

(D) Sacra supplex, cui Corpus Domini cum involvitur, à laicis contingi non debet, unde à Clericis lavanda est, nec *Zafio* ignorantia suffragatur, cum

quilibet officium suum scire teneatur.

(E) Graviter conqueritur Pontifex in *Cap. relinquit. 2. de Custod. Eucharist.* quod sint quidam, qui non solum Ecclesias dimittunt incultas; verum etiam vasa ministerii, & vestimenta Ministrorum, ac pallas altaris, nec non ipsa Corporalia tam immunda relinquunt, ut interdum aliquibus sint horrore, unde præcipit, ut Oratoria, vasa, Corporalia & vestimenta Sacra munda & nitida conferventur, nimis enim videtur absurdum, in Sacris fordes negligere, quæ dedecet etiam in profanis. Deliquit ergo *Zafius* Ecclesiam ejusque suppletilem tam negligenter tractando, & prætextus superbix est pallium inertix.

(F) Est error facti, quo, quem non noverat, excommunicatum ad Ecclesiam & mentam admisit, ideoque per *Regulam* Censuram non incurrit. *Arg. Cap. significavit. 18. de Sent. excom.*

(G) Qui scienter se à Simoniacis consecrari permittant, ab exercitio Ordinum taliter susceptorum suspensi sunt, non autem illi, qui ignoranter ab ipsis ordinantur. *Can. si quis. 103. caus. 1. q. 1.* Si igitur *Zafius* Episcopum Ordinatorem simoniacà labe repletum fuisse nescierit, in susceptis ordinibus ministrare poterit, cum probabilis & justa alieni facti ignorantia excuset.

(H) Si



(H) Si pecunia *Zafio* incio, nec alicujus factum insidias inimico parantibus eidem damnosum existeret, cui penitus displiceret, & sic quis de fraude sua commodum reportaret. *Cap. simonia, alioquin contingeret, quod cui. 33. de Simon.*

## REGULA XIV.

*Cum quis in Jus succedit alterius, justam ignorantia causam censetur habere.*

**Q**uæres *primò*. Quid & quotuplex est successio?

*ꝛ.* Est justa rei vel juris, quod fuit alterius, occupatio. Alia est generalis, alia particularis. Successio universalis est, quâ quis ex titulo universali vel per testamentum, vel ab intestato in Jus universum defuncti succedit. Particularis est, quando quis in re particulari succedit, ut Legatarius, Donatarius, emptor &c. huc Prælatus vel Beneficiatus reductivè pertinet. Hæc inter Generalem & particularem successorem juris est differentia, quod universalis suum repræsentat Antecessorem, sique juris fictione ipse Antecessor, cujus onera portare debet. Successor particularis antecessorem non repræsentat.

Quæres *secundo*. Quis hujus Regule sensus?

*ꝛ.* In Jus alterius & locum succedenti obesse nequit, si id, quod ab

antecessore vel authore gestum est, ignorat. Ratio est: quia talis ignorantia de facto alieno justa est & probabilis, ignorantia autem probabilis, ut statim vidimus excusat, ideòque in alterius succedens locum justam habet ignorantia causam.

Quæres *tertiò*. Quæ Regule hujus exceptio?

*ꝛ.* Successor vel hæres Universalis in vitium succedit defuncti, adeo ut rem, quam testator scivit esse alienam, hæres præscribere non possit, sed illi noceat mala antecessoris fides, ut præscriptionem per possessionem bonæ fidei à se captam inchoare nequeat, & præscriptionem ab antecessore inchoatam multò minùs completere valeat, & ita quantumvis hæres probabilem habeat ignorantiam, quod res sit aliena, illa tamen non excusat, nec ad præscriptionem juvat, cum hæc sit causa lucrativa, ad quam ignorantia facti



non patrocinator. Aliud est in Successore particulari, qui sicut suum non repræsentat antecessorem, sic quæque in vitium illius minimè succedit.

## C A S U S.

**Z**onarius hæres ab intestato Aniani Canonici Metropolitanæ sine delectu omnia & singula bona defuncti sibi vindicat (A) inter reliqua pretiosum annulum apud Anianum depositum vendit, depositum esse ignorans. (B) Bonum allodiale, quod Anianus agnato suo abstraxerat, tanquam ab eodem præscriptum obtinere contendit. (C) Ex transactione Anianum inter & Sempronium legaliter inita Sempronius à Zonario 100. Imperiales exigit, quos hic in vim præsentis Regule solvere recusat. (D) Anianus ante mortem dispositionem Codicillarem in

favorem Monasterii à Confessario & duobus testibus subscripam fecerat, in qua eidem Monasterio sex equos Rhedæ honorariæ deputatos donabat, quos Zonarius extrudere non vult, eo quod Codicillum septem testes non subscripserint. (E) Syndicus quoque Capituli proponit, quod Capitulum pro Aniano in Curia Romana pro beneficio litigante fidejusserit, omnèsque expensas, in quas Anianus condemnatus fuerat, solverit, quas proin hærede restitui petit. Zonarius hæc se ignorare, & nihil ad se pertinere inquit. (F)

## R E S O L U T I O.

(A) **I**N Cap. 1. de Success. ab intest. disponitur, quod si per hæreditatem, vel alio modo intuitu personæ Clericus aliquid acquisiverit, donare ei liceat, cui voluerit, dum vivit; Si autem ante obierit, quam hoc fecerit, Altari, cui servivit, omnia perpetuò sanctificantur, & in Jus ejus traduntur. Ex quo sequitur Zonarium ab intestato succedere non potuisse, aut si succedere posset, vel hæres scriptus esset, id intelligendum de bonis non intuitu Ecclesiæ, sed hæreditate, artificio vel doctriua acquisitis, in aliis enim, quæ ratione Ecclesiastici & Spiritualis Ministerii ac

Beneficii obvenerunt, tam necessariò succedit Ecclesia, ut etiam quacunque alia contraria testatoris dispositio invalida sit & inanis Cap. 1. Cap. Cum in officiis. 7. Cap. relatum. 12. de rebus.

(B) Si hæres rem apud testatorem depositam vel commodatam distraxit, ignarus depositam vel commodatam esse, quia dolo non fecit, non tenetur de re, sed tantum de pretio. L. depositum. 1. §. fin. ff. deposit. per Regulam enim justam ignorantia causam habere censetur.

(C) Mala fides Aniani, quæ allodium alienum possedit, transit ad hæredem,




redem, & ideo sicut testator cum fidei vitio præscriptionem inchoare nequibat, ita quoque Successor universalis ob traducem vitii radicem præscriptionem continuare vel complere non potest. *Can. si Sacerdotes. 10. caus. 16. 9. 3.*

(D) Male applicat *Regulam Zonarij*, si transactionem legitimè factam Semproonius probet, stante siquidem probatione cessat causa ignorantia, consequenter 100. Imperiales solvere renetur.

(E) Quæcunque dispositio sive per modum Testamenti, aut Codicilli, donationis aut aliter, ad causam piam coram tribus aut duobus legitimis testibus requisitis facta valet, cum in hoc passu non secundum leges, sed secun-

dum Decretorum statuta dispositio talis sit tractanda. *Cap. relatum 11. de Testam.* Equos ergo *Zonarij* Monasterio tradere obligatur.

(F) Qui pro Clerico fide jussit, omnino indemnis servandus est, ne dispendium patiat, unde videtur præmium meruisse, in tantum, ut, si Clericus, pro quo fidejussit, debita fidejussori solvere, & simul damna, quæ propter fidejussionem pertulit, resarcire detrectet, reditus beneficii, quod Clericus ille obtinet, tam diu fidejussori debeant assignari, donec damna resarcita fuerint, & debita sine diminutione soluta. *Cap. pervenit. 2. de fidejuss.* Frustra ergo exculpate sese nititur *Zonarij*.



## REGULA XV.

*Odia restringi, & favores convenit ampliari.*

Quæres primò Quis amicus hujus Regulae sensus?

R. Leges, Canones, Privilegia, quæ odia continent, restringenda, & strictè sunt interpretanda: è contra quæ favores conferunt, amplianda sunt, lateque interpretanda. Hic sensus ad speciem clarus difficultatem habet in explicando, quæ favorabiles, & quæ odiosæ sint dispositiones.

Quæres secundo. Quæ dispositiones sunt favorabiles?

R. Sequentes. 1<sup>mo</sup>. Dispositiones, quæ sine juris communis derogatione, & tertii damno aut præjudicio merum Principis continent beneficium, merito favorabiles appellantur. *L. beneficium. 3. ff. de Constitut. Princip. Cap. cum dilecti 6. de donat.* Exemplum habemus in Privilegio celebrandi & divina audiendi tempore interdicti per Pontificia Sedis largitatem indulto, vñ cujus famuli & domestici privilegiati, licet in Privilegio non nominati, divinis



interesse possunt, eò quod sit mera & nemini præjudiciosa summi Pontificis gratia.

2dò. Dispositiones, quæ animarum, fidei aut religionis Christianæ bonum concernunt, vel ad Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, aut alterius causæ piæ pertinent utilitatem & incrementum, pro favorabilibus habendæ sunt; ita Aylum Ecclesiæ concessum ad loca eidem conjuncta extenditur, item immunitas localis nemini quocunque debitorum vel criminum non exceptorum onere gravato est deneganda: quia Privilegium intuitu Ecclesiæ est indulgentum. *Can. si quis in atrio. 7. caus. 17. q. 4. cap. inter alia. 6. de immunit. Eccles.* Sic etiam *Cap. fin. de præscript.* quod malam fidem à præscriptione removet, ad quamcunque præscriptionem etiam immemorabilem extenditur.

3tiò. Dispositiones, quæ primævum & commune Jus iterum reducunt, sunt favorabiles. *Gloss. in cap. statutum. 3. de præbend. in 6. verb. numerandum.* Ita concessio decimarum Parocho, intra cujus Ecclesiæ fines proveniunt, facta etiam novalium Decimas comprehendit. *Cap. ex parte 27. de Decim.* cum de jure communi Parocho indiscriminatim decimæ debeantur. *Cap. cum sint 18. cap. ad Apostolica. 20. de Decim.*

4to. Quando ratio concedendi æquæ vel magis in aliis reperitur, privilegium extenditur: sic privilegium competentæ militibus concessum *L. Miles. 6. ff. de re judicat. ad Advocatos & in sa-*

cris constitutos extenditur, in his enim eadem, quæ in militibus ratio esse dignoscitur.

Quæres tertio. Quæ sunt odiosæ Juris dispositiones?

1. 1mo. Quibus juri communi, aut quæsito jam tertii juri derogatur, eò quod Princeps Jus commune ob utilitatem publicam introductum tollere, vel minuere, aut tertio nocere non intendat. *Cap. Ecclesia. 57. de elect. cap. super eò 15. de offic. delegat.* hinc dispensationes in defectu natalium, Clericorum, aut Ecclesiarum à jurisdictione Episcopali, vel Laicorum à solutionibus decimarum exemptiones odium continere non dubitamus.

2dò. Dispositiones, quæ actus aliàs valituros infirmant, invalidosque reddunt, inter odiosas computantur quam ob causam Decretum *Concil. Trident.* Matrimonium clandestinum irritans sponsalia clandestina non complectitur.

3tiò. Dispositiones, quibus in habilitates inducuntur, aut facultas omnibus regulariter permessa adimitur, ut statutum tollens vel restringens testandi facultatem, aut ad paternam successionem inhabilem reddens, &c. odiosis merito annumerantur.

4to. Dispositiones bonis moribus, vel naturali adversantes æquitati, ut nuptiarum consanguineos inter & affines permissio, inæqualitatis inter liberos introductio, &c. tantò sunt odiosiores, quantò honestior inter consanguineos & affines continentia, & laudabilior naturæque conformior liberorum in successione æqualitas, Quæ-



Quæres quariò. Quæ dispositiones odiosæ à præfenti Regula excipiuntur?

1<sup>o</sup>. Illæ, quæ si non extendentur, omni carerent effectu. *Cap. in his. 50. de Privileg.* exempla sunt: dispositio testamentum condere prohibens odiosa est, & ramen hæc Codicillum aliisque ultimæ voluntatis species comprehendit: dispositio quâ Civitas interdicitur, procul dubio odium continet, ast nihilominus ad suburbia extendi non ambigitur.

2<sup>do</sup>. Illæ, quæ ad similia extendentem habent clausulam, sic hæreticorum

ad beneficia & officia inhabilitas ad eorundem filios extenditur per *cap. ut officium 1. §. fin. de hæret. in G.*

3<sup>io</sup>. Si non facta in odiosis extensione absurdum sequeretur. Ita lex odiosa in *l. 1. C. de secunda. nupt.* irrogans infamiam mulieribus infra annum luctus secundas nuptias celebrantibus ad fœminas intrâ illud tempus turpiter viventes extenditur per *authent. eisdem. C. eod. tit.* & quamvis lex prima ista Juris Canonici autoritate justè correctâ sit *cap. super illa. 4. cap. fin. de secund. nupt.* hodie adhuc obtinet vigorem prædictæ *authent. eisdem* dispositio.

## C A S U S.

Angelinus ex Gentilismo conversus affinem ex *Can. quadam. 20. canf. 25. q. 3.* uxorem ducere voluit (A) quod cum denegaretur, dispensationem, Caxæ in secundo gradu affini nubendi impetravit, quâ ante Matrimonium contractum mortuâ, vi dispensationis ejusdem Titiam in tertio gradu affinem sibi copulari petiit. (B) Uxoratus privilegium obtinuit, ut tempore interdicti divinis interesse possit. (C) Quamvis jam ante in Suburbio divinis interfuisset. (D) Casu aliquem in rixa interficiens ad Ecclesiam confugit, quam cum clausam inveniret, in atrio Ecclesiæ mansit, unde Judex eum per milites extrahere parabat. (E) Decimas agrorum cultorum sol-

vere paratus, novales tamen Parocho negabat. (F) Defuncta uxore ad Clericatum aspirans repellebatur, eò quod parentes habuisset sibi invicem consanguineos. (G) Impetratâ itaque legitimatione ad minores Ordines admittus, pastorum ambebat, cum tandem litteras Apostolicas pro proximo vacaturo pastorum obtinuisset, per illas beneficium simplex, eum pastorum hactenus non vacasset, adipisci cupiebat. (H) Obtento beneficio simplici, nihilominus pastorum, aut aliud simplex beneficium impetrare studuit. (I) Demum cum ex statuto Clerici Testamentum condere non possint, ad extrema deveniens fecit Codicillum. (K)

RESO-



## RESOLUTIO.

(A) PRIVILEGIUM Anglorum in eis. *Can. quadam.* Cum sit odiosum, ad alias gentes minimè est extendendum, ut ibidem docet *Gregorius* Author Privilegii.

(B) Dispensatio utpote odiosa à persona expressa ad aliam in gradu remotiore personam extendi non debet.

(C) Quia Privilegium interessendi divinis favorem continens nemini præjudicat à persona, cui collatum est, ad familiares ejus extenditur. *Cap. licet. 11. de Privileg. in 6.*

(D) Pœna interdicti imposita Civitati ad ejus suburbia extenditur; quia aliàs interdictum exiguum sortiretur effectum, si in suburbiis divina frequentare liceret. *Cap. si Civitas. 17. de sent. excom. in 6.*

(E) Privilegium immunitatis Ecclesiæ, quia in majorem Dei cultum & Ecclesiæ honorem est concessum, favorabile est, ideoque loca proximè vicina complectitur. *Can. sicut. 6. san. definit. 35. cans. 17. q. 4.*

(F) Jus percipiendi decimas respectu Parochi favorabile est, Parochus enim fundatam habet in Jure communi Decimas percipiendi intentionem, unde sub nomine Decimarum novales quoque comprehenduntur. *Cap. ex ex parte. 27. de decim. e contra facultas colligendi decimas in privilegia-*

ris religiosis, in Clericis decimas obtinentibus, in laicis decimas in feudum habentibus, est odiosa, cum Juri communi sit contraria, & ideo ad novales non extenditur. Sunt expressi textus in *cap. ex parte 10. cap. tua. 15. §. nec occasione. cap. cum contingat. 29. de decim.*

(G) Si Parentes in primo gradu non fuerint consanguinei, *Angelinus* legitimus erat, nec dispensatione, ut ex Gentilismo conversus ad Clerum admitteretur, egebat,

(H) Dispensatio in natalibus, quam à Jure communi exorbitantem veluti odiosam restringi oportet à minoribus Ordinibus ad majores, à beneficio simplici ad curatum, ab uno ad plura beneficia non est extendenda, *Cap. 1. & 2. de filiis presbyter. in 6.*

(I) Litteræ Apostolicæ super obtinendis beneficiis impetratæ, cum odium contineant, restringi, & ideo à beneficio majori ad minus; ab uno ad plura extendi non debent. *Cap. quamvis. 4. de prebend. in 6.*

(K) Qui testamentum condere prohibetur, Codicillum quoque facere nequit, aliàs enim testamenti prohibitio suo sine frustraretur. *Arg. cap. cum in officiis. 7. de testam. & arg. l. ne codicillos. 5. C. de Codicill.*



# REGULA XVI.

*Decet concessum à Principe Beneficium esse mansurum.*

**Q**uæres *primò*. Quid est Principis Beneficium ?

**R.** Est secundum, vel præter Jus à Principe facta Concessio, ut si Princeps aliquid tribuit, quod juri non repugnat v. g. feudum vel domum de suo largitur, & in hoc à Privilegio distinguitur Beneficium, quod Privilegium sit Principis contra Jus, vel juri derogatoria concessio. Beneficium sive privilegium aliud est reale, aliud personale, hoc respectu personæ, illud intuitu rei immediatè conceditur.

Quæres *secundò*. Quis hujus Regule sensus ?

**R.** Beneficium, privilegium aliæque gratiæ Concessionis sine determinatione temporis à Principe factæ perpetuam obtinent roboris firmitatem, ita, ut si privilegium sit personale, ad vitam duret privilegiati; Si reale, ultra privilegiati vitam ad Successores transeat, in iis perseveret, nec absque justa & gravi causa à Successore Principe revocari possit. Colligitur ex *Cap. si cui. 36. de præbend. in 6.* & ratio est: Quia quamvis Successor, vel privilegium tribuens illud revocandi habeat potestatem, attamen naturalis exigit honestas, & Principis requirit dignitas, ut Privilegium maneat, ne-

*R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.*

quod unâ manu largitur, alterâ retrahere, & consequenter illudere videatur, quod non tantum indecentem in Principe populi capite arguit inconstantiam, sed etiam sanæ repugnat rationi.

Quæres *tertiò*. In quibus casibus Princeps concessum Beneficium illicitè revocat ?

**R.** *1mo*. Si Beneficium sit remuneratorium, in præstiti obsequii compensationem datum. *2do*. Si non subito concessum, tunc enim velut liberalis donatio revocari nequit. *3to*. Si Beneficium transivit in contractum, cujusmodi est, quod Princeps, dum inauguratur, se daturum vel observaturum jurare consuevit. *4to*. Quod Princeps accepto pretio indulsit, tunc namque speciem habet venditionis.

Quæres *quarto*. Quando Princeps privilegium revocare potest ?

**R.** In sequentibus casibus: *1mo* ob privilegiati ingratitude, propter quam & donatio inter vivos revocabilis est. *2do*. Si subditus privilegio vel beneficio abutatur. *3to*. Dum mutatis circumstantiis cessat finalis causa concessionis. *4to*. Quia incipit esse damnosum, cum in Principis ejusque supremæ auctoritatis cedit præjudicium.

K

CA-



## C A S U S.

**B**avo Episcopus à Rom. Pontifice in mensibus Papalibus beneficia conferendi indultum obtinuerat, sed anrequam eo uteretur, mortuus est Papa (A) nec Bavo diu amplius supervixit. (B) Successor Bavonis eodem privilegio uti tentabat, sed opponebatur, quod Privilegium ad Successorem non transisset, sed per mortem Pontificis expirasset, aut jam revoca-

tum esset, eo quod Bavonis Successor multos indignos promovisset, nec Sedis Apostolicæ Legatum suscipere voluisset. (C) ut omnibus obviaretur, Successor novum impetravit Privilegium, & Clerico irregulari Beneficium contulit, qui tamen Religionem ingressus, & Novitius factus à Prælato regulari est dispensatus. (D)

## R E S O L U T I O.

(A) **S**I Bavoni gratia facta fuerit, ea per mortem concedentis non expirat, si vero eidem data providendi potestas, non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur, gratiam vel favorem, illa expirat omnino, si concedens re integrâ moriatur. Est expressus textus in *Cap. si cui. 36. de præbend. in 6.*

(B) Si privilegium personale, & ipsius Bavonis intuitu concessum fuit, illud per mortem ejus extinguere necesse est, Privilegium namque personale personam sequitur, & extinguitur cum persona. *Reg. jur. 7. in 6.* Si reale, & Episcopalis Dignitatis intuitu datum, ad Successorem transire non dubitatur.

(C) *Gloss. in præsentem Regulam* docet, quod etsi privilegium deceat esse mansurum, in sequentibus tamen casibus id ipsum cessare valeat 1<sup>mo</sup> per *abulum*, quia privilegiatus favore


concesso abusus est, ex quo capitejusta causa subest, quare Princeps indultum gratiæ revocare possit. 2<sup>do</sup> per *non usum*. Exemplum ponitur in habente privilegium Nundinarum, si Nundinas non celebravit. 3<sup>io</sup>. Per *ingratitude*. Sicut enim Donator ob ingratitude Donatarii licite revocat donationem, ita quoque privilegii Author justè revocat privilegium ob ingratum animum privilegiati 4<sup>to</sup>. Propter *præjudicium*, si videlicet privilegii Beneficium in grande alterius vergat detrimentum. Exemplum est in *Cap. suggestum. 9. de Decim.* Ubi Pontifex *Cisterciensibus* datum decimas percipiendi revocat privilegium, quia multiplicatis per totum Orbem Monasteriis *Cistercienses* in grave Parochiarum præjudicium decimas accipiebant. 5<sup>to</sup>. Per *revocationem*, si nempe subdito Principis concessum fuit, secus si non subdito datum, qualia sunt privi-



privilegia ab Imperatoribus Ecclesiis concessa, privilegium quippe non lubdito indultum vim contractus habet, qui ab initio quidem voluntarius, postmodum vero necessarius esse dignoscitur.

(D) Si existens Novitius per Ordinis privilegia in irregularitate dispensationem accepit, etiamsi eum abdicato religionis proposito è Novitia-

tu postea discedere Contingat, ab irregularitate liber manet & immunis, gratiam enim concessam manere oportet. Simile est in *Authent sed Episcopalis. C. de Episcop.* Ubi Filiusfamilias Patriam vel Episcopalem Dignitatem adeptus à patria liberatur potestate, qui licet postmodum Dignitate privetur vi tamen presentis *Regula* manet emancipatus.



## REGULA XVII.

*Indultum à jure beneficium non est alicui auferendum.*

**Q**UÆRES. Quis hujus Regulæ sensus?

R. Si alicui ex jure, Lege, aut Canone Beneficium, vel agendi quidpiam aut omittendi competat facultas, non est impediendus, quominus suo jure utatur. Ratio est: quia quod à Legibus concessum, ab alio, quàm ab eo, qui supra leges est, auferri nequit. Exempla sunt, *Cap. fin. de secund. nupt.* Corrigit *L. 1. c. de secund. nupt.* in qua vidua ad secundas nuptias transiens infamiâ notatur, cum Matrimonii Vinculo solutis rursus nubendi Apostolus liberam concesserit facultatem, illa per Leges civiles auferri non

potuit. Item in *Cap. commissa. 36. de elect. in 6.* promotus ad Ecclesiam Parochialem injungitur, ut intra annum Sacerdotii Ordinem suscipiat, qui terminus cum à Jure indultus sit, nec auferri, nec coarctari potest, ideoque Parochus ex defectu Sacerdotalis Ordinis infra annum licitè Parochiali non privatur beneficio. Demum Jura minoribus & Ecclesiis, si læsi fuerint, Beneficium restitutionis in integrum, reo exceptiones dilatorias & peremptorias, gravato per Sententiam appellationis concedunt remedium, quæ proinde cum sint Juris beneficia, à jure nec auferri nec limitari possunt.

### C A S U S.

**C**AJETANUS Episcopus statuere voluit, nec sæpius, quàm bis nuberent. (A) ne viduæ intra annum lucuûs, ut neo promoti ad pastoratus ad minus primo

K 2



primo medio anno Diaconatum suscipiant. (B) Ut appellationes intra octiduum fierent. (C) Ut electi ad Prælaturas intra mensem confirmationem peterent. (D) Ut minores læsi restitutionem in integrum intra triennium postularent. (E) hæc *Cajetanus* statutis Synodalibus inferere voluit. Op-

posuit Capitulum, quod Episcopus juris beneficia limitandi potestatem non haberet, replicat Episcopus, penes Superiorem esse, limitare terminum à Jure concessum, idque constare ex *Cap. quod ad consultationem. 15. de Sent. & re judicat. Cap. cum sit. 5. Cap. oblata. 57. de appellat. (F)*

## RESOLUTIO.

(A) **Q**uantumvis de Jure Civili Viduæ intra annum luctus ad secundas nuptias convolantes severe puniantur, L. 1. C. de secund. nupt. Quia tamen mulier mortuo Viro suo nubendi, cui vult, potestatem habet, ideo quoad has pœnas leges per Canones noscuntur esse correctæ. *Cap. fin. de secund. nupt.*

(B) Parochiam adeptus pro suscipiendo Sacerdotii Ordine integri anni terminum habet. *Cap. licet. 14. Cap. commissa. 35. de elect. in 6.* Quem terminum Ordinarius coarctare nequit.

(C) Decem dierum induciæ ad appellandum conceduntur *Can. anteriorum. 28. caus. 2. q. 6.* Qui dies nec à Prælato, nec à judice abbreviari possunt.

(D) Electus, cui præsentata est ele-

ctio, intra mentem consensum præbere, & consensu præstito intra tres menses Confirmationem petere debet. *Cap. quàm sit. 6. de elect. in 6.* cujus temporis spatium Episcopus limitare nequit.

(E) Ecclesia vel minor læsus quadriennium habet, intra quod Beneficium restitutionis in integrum ab eis est implorandum, quod similiter Episcopo restringere non licet.

(F) Solutionem dat *Gloss. in Regulam præsentem*, quod scilicet *Regulam* procedat in Judiciis, quæ dantur sine tacito vel expressio judicantis ministerio, non tamen in Judiciis, quæ licet dentur à jure, intervenit tamen in eis tacitum vel expressam ministerium judicantis.



RE.



# REGULA XVIII.

*Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regulæ sentus?

R. Actus, qui ab initio nullus fuit & invalidus, solo tractu & lapsu temporis absque alterius adminiculi accessione non reconvalescit, ut vim & firmitatem actûs ab initio validi consequatur. Ratio est: quia solus temporis lapsus inducendi vel tollendi obligationem modus non est, ideòque sola temporis mora actum in se invalidum sanare nequit, nisi interea medicamen aliunde adveniat.

Quæres secundò. Quæ hujus Regulæ exempla?

R. Sequentia. *1<sup>um</sup>* in *Can. principatus. 25. caus. 1. q. 1.* Simoniacè ad Dignitatem promotus, quantumcunque laudabiliter sequenti tempore se gesserit in eadem, promotio tamen à principio invalida successu temporis non reconvalescit.

*2<sup>dum</sup>* in *Cap. si eo tempore. 9. de re-script. in 6.* Quidam à Papa expectativam ad beneficium vacaturum impetraverat gratiam, qui tempore impetrationis hujusmodi Beneficii ob Ætatis defectum capax non erat, quamvis postea tempore vacationis debitam

habeat Ætatem, litteræ tamen impetratæ ab initio invalidæ sunt & manent inefficaces.

*3<sup>tium</sup>* in *L. inter stipulantem. 83. §. Sacram. ff. de Verb. obligat.* Quidam rem Sacram v. g. calicem consecratum se dare stipulaverat, quem dare non poterat, quia res Sacra erat, successu temporis res Sacra promissa consecrationem amisit v. g. Calix est confractus, stipulatio vel promissio ab initio invalida lapsu temporis non revalidatur, nec promissum solvere tenetur.

*4<sup>tum</sup>* in *Cap. licet. 14. de Sent. ex-com. in 6.* Judex alicui sub pœna excommunicationis quidquam facere injunxerat, à quo decreto legaliter appellatum fuit, appellatione tamen non obstante subditus excommunicatus fuit, quamvis autem appellationem interpositam appellans non fuerit persecutus, invalida nihilominus excommunicationis Sententia ex hoc, quod caula sit delecta, non reconvalescit.

*5<sup>tum</sup>*. Si testamentum, Legatum, &c. à principio fuit invalidum, vel ex defectu personæ testantis, qui per ultimam voluntatem disponere nequi-

K 3 bat,



bat, vel ex hæredis aut Legatarii defectu, qui tempore conditi Testamenti velut hæres aut Legatarius succedere non poterat, licet hæ personæ postmodum testandi & succedendi capacitatem accipiant, testamentaria tamen aut legataria dispositio ab initio invalida tractu temporis robur aut valorem non consequitur.

*6<sup>um</sup>.* Si ante completum ætatis septennium duo contraxerunt sponsalia, quæ postmodum majores facti non ratificaverunt, sponsalia hujusmodi, quæ ab initio nulla erant, per lapsum dicti temporis minimè convalescunt, nec publicæ honestatis justitiam inducunt. *Cap. unic. de desponsat. impub. in 6.*

*Quæres tertio.* Quæ hujus Regulæ limitatio?

*1<sup>a</sup>.* Quanquam solus temporis tractus actum à principio invalidum non revalidet, successu tamen temporis sublato impedimento aliquid intervenire potest, quod actui valorem tribuat, ut novus consensus tacitè vel expressè positus.

Exempla sunt *1<sup>mo</sup>.* in *L. fin. C. si major factus alienat.* Si Minor Curatorem habens sine eo contraxit, hic contractus ab initio nullus fuit, si tamen Minor iste Major factus per quinquen-

nium quærelam de nullitate contractus non proposuit, contractus reconvalescit per tacitum majorennis consensum, quia non querulando actum ratum habuit, vel suo Juri renuntiavit.

*2<sup>do</sup>.* In Trident. Sess. 25. de regular. cap. 19. professio religiosa de Jure invalida per lapsum quinquennii confirmatur, ita, ut contra eam reclamans non audiatur, non tamen præcisè ob temporis lapsum, sed quia à tanto tempore non reclamans professionem ratificasse præsumitur, quod si tamen nec tacitè nec expressè eandem renovaverit, ipsa est & manet invalida; quapropter sic nulliter professio per beneficium restitutionis in integrum succurritur, ut post lapsum quinquennii professionis probare valeat nullitatem.

*3<sup>io</sup>.* Si vacante beneficio Juripatronatus obnoxio Ordinarius præterito patrono beneficium contulit, nec Patronus intra tempus ad præsentandum de Jure requisitum reclamet, collatio ex negligentia Patroni tempore utili neminem ad beneficium præsentantis reconvalescit, quia Jus collationem nulliter factam roborat, ne diutina beneficii vacatio Ecclesiæ damnosa existat.

## C A S U S.

**D**esiderius in Abbatem Simoniacè electus optimè administravit, ob administrandi dexteritatem ad Episcopatum postulatus (A) ductus tamen

conscientiâ, antequam possessionem caperet, petiit, & obtinuit à Simonis pœnis absolutionem. (B) Factus Episcopus quædam vasa sacra Principi promisit



misit, quæ & post confectionem & executionem tradidit (C) accusatus apud summum Pontificem coram Delegato sese purgare debuit, qui cum excommunicationem comminaretur, si ad positionales articulos non responderet, appellavit, appellatione non obstante Delegatus *Desiderium* excommunicavit, qui excommunicatione contemptâ appellationem profequi neglexit.

(D) Coram Delegato tamen respondere coactus, pro se dixit, quod quamvis inhabilis ad Episcopatum ob vitium Simonie fuerit promotus, vitium tamen per Pontificiam absolutionem fuisse purgatum. *Arg. cap. cura. 11. de Jurepatron. Cap. de illis. 9. de desponsat. impub. cap. proposuit. 2. de Conjug. servor. Cap. cum nos. 3. de his que sunt à Pralat. &c (E)*

## RESOLUTIO.

(A) **P**ER quantumcunque laudabilem & fructuosam *Desiderii* administrationem Simoniacæ labes non abstergitur, nec provisio beneficii ab initio invalida revalidatur. *Can. Principatus. 25. caus. 1. q. 1.* postulatio quoque ad Episcopatum nulla est juxta Bullam S. Pii V. *quamprimum*. Quam tamen non in toto rigore, ut ante omnem obliget Judicis sententiam, receptam esse sustinent Authores.

(B) Absolutio post collationem vel provisionem factâ titulum à principio ob vitium Simonie invalidum non sanat, secundum præsentis *Regule* intellectum.

(C) Juxta *Regulam Desiderius* promissione non obligatur, & liquet ex *L. inter stipulantem. 83. §. Sacram. ff. de verb. obligat* ubi dicitur, non valere rei sacræ promissionem, licet rem sacræ promissam postmodum profanam fieri contingat.

(D) Excommunicationis sententia post appellationem legitimam promulgata, nulla est, nec per negligentiam

appellantis, appellationem suam minime prosequentis, ratificatur aut convalescit, excommunicatus tamen nominatim, specialiter & expressè, qui post appellationem excommunicationis sententiam asserit in se latam, si appellationem intra tempus ad ipsam prosequendam ab homine vel à Jure statutum, non fuerit, ut debuit, profecutus, lapsò eodem tempore excommunicatus publicè denuntiari, & nedum in judicialibus, sed etiam in extrajudicialibus evitari, ac à legitimis actibus removeri debet. *Cap. licet. 14. de sent. excom. in 6.*

(E) Cæterorum solutio sumitur ex *Gloss. in hanc Regulam verb. firmatur.* illud, quod ab initio nullum fuit, solo tractu temporis non reconvalescit, post amotam tam impedimenti causam per novum sublequentem, quandoque tactum, quandoque expressum firmatur consensus, cujus exempla sunt in *Cap. cura. 11. de Jurepatron. aliisque locis supra citatis.*

RE-



## REGULA XIX.

*Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.*

**Q**uæres primò. Quis rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscere dicitur?

*R.* 1<sup>mo</sup> Qui rem alienam invadit. 2<sup>do</sup>. Qui possessionem vacuum propriam occupat auctoritate. 3<sup>tio</sup>. Qui domino invito ejus negotium administrat. 4<sup>to</sup>. Qui alterius officium vel Jurisdictionem absque data commissione exercet. 5<sup>to</sup>. Qui scientiam, officium vel artem, quam non callet, cujus incapax est, quæque statum ejus dedecet, proficitur.

Quæres secundo. Quis hujus Regulae sensus?

*R.* Immiscens se rei alienæ, in qua nihil juris habet, vel negotio, aut ratione status, aut imperitiæ sibi prohibito, culpam non vacat, ideoque 1<sup>mo</sup>. ad damni etiam casu fortuito absque nova culpa secuti reparationem tenetur. 2<sup>do</sup>. Ad pœnam quoque publicam pro facti

vel circumstantiarum qualitate obligatur.

Quæres tertio. Quæ hujus Regulae exempla?

*R.* 1<sup>mo</sup>. Si res aliena per casum merè fornicatum apud malæ fidei possessorem perit, hic ad restitutionem tenetur, cum semper sit in mora restituendi. 2<sup>do</sup>. Clericus contra status decentiam balistariis vel alteri militari lului se immiscens, si quem occidit, irregularitatis contrahit impedimentum. *Can. Clerico. 37. dist. 50.* 3<sup>tio</sup>. Clericus vel Religiosus Chirurgiam exercens, vel Doctorem Medicum agens, si ex ejus medicina vel operatione infirmus obierit, irregularitatem incurrit. *Cap. tuos. 19. de homicid. Similia exempla habentur in cap. Presbyterium. 7. cap. continebatur. 8. cap. ad audientiam. 12. de homicid. Cap. fin. eod. in 6.*

## CASUS.

**E**vagrus Religiosus ludo immodestorum juvenum se immiscens Ecclesie fenestram fortuito casu frangit (A) vespertino tempore demisso exivit habitu, & circumvagatus defensionis

propriæ gratiam aliquem mutilat, ideoque irregularitatem metuit. (B) Cui-dam mulieri tumorem per incisionem curare nititur, quæ ob negligentiam ipsius moritur, in quo casu cum chari-tatis



*quæ ad eum non pertinet, se immiscet.*

81

tatis præstitisset officium, ab omni culpa se putat esse immunem. (C) Ex conclavi vicini sui vestem surripit, quæ ex ejus cubiculo furto sublata est, an-

gitur an ad restitutionem teneatur, pro excusatione affert, quod in perditione nulla culpa intercesserit. (D)

## RESOLUTIO.

[A] AD reparationem fenestræ obligatur, eò quod ludo illicito sese immiscuerit. *Arg. cap. continebatur. 8. & cap. sicut. 20. de homicid.*

(B) Merito metuit irregularitatem, quia operam rei illicitæ dedit, ex qua ad casum de homicidio forruito tenetur. *Cap. suscepimus. 10. de homicid.*

(C) Irregularitatem incurrit, quia sese immiscuit rei, quæ ad eum non pertinebat. *Cap. sua nos. 19. de homicid.*

(D) Ad restitutionem obligatur, eò quod in mora fuerit, & si culpa casum prævenit, de casu quis tenetur. *Gloss. in hanc Regulam.*

## REGULA XX.

*Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.*

Quæres primo. Quid hic nomine defensionis intelligitur?

ꝛ. In processu judiciario Actor, sive qui alterum in Judicium vocavit, suam proponit actionem, seu exponit, quale obtineat jus prosequendi in Judicio, quod ab altero sibi debetur. è contra provocatus sive reus se defendit, opponendo exceptionem vel dilatoriam, quæ contra se institutam retardat actionem, vel peremptoriam, quæ adversarii actio penitus eliditur. Sit pro exemplo. Titius in Judicio convenit Cajum exigens ab eo centum imperiales sibi per stipulationem debitos.

*R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.*

Cajus reus seu provocatus se defendit per exceptionem vel dilatoriam, Judicem suspectum recusando, vel peremptoriam se vi vel metu adactum stipulationem fecisse allegando.

Quæres secundo. Quis hujus Regulæ sensus?

ꝛ. Quamvis actor ex pluribus actionibus circa eandem rem concurrentibus unam debeat experiri, nihilominus reus, cui lis movetur, pro juris sui conservatione plures titulos, ut donationem, transactionem, præscriptionem, privilegium defensionis gratià allegandi habet licentiam, ac ita pluri-

L bus



bus defensionibus uti potest, non quidem, ut ex omnibus illi res adjudicetur, sed ut; si unus titulus non sufficiat, altero vincat, suumque dominum conseruet, ratio, quare hac in parte quod Actori denegatur, reo indulgeatur, est: quia sui defensio est juris naturalis, ideo Jura magis favent reo, quam Actori, qui primus in reum insultum facit, contra quem reus meliori modo, jam hac, jam illâ exceptione, nec solum diversis, sed & contrariis exceptionibus, tam in causa criminali, quam civili sese meritò defendit.

Exempla sunt 1<sup>mo</sup>. Accusatus de homicidio primò crimen negat, postquam de perpetrato illius fere convictus est violentum aggressorem servato tutelæ inculpatæ moderamine occisum fuisse excipiendo opponit.

2<sup>dò</sup>. Mulier virum, qui divortium fecit, in Judicio repetit, vir reus exceptionem adulterii ab uxore commissi objicit, quod cum plenè probari non possit, secundò consanguinitatem, & ex ea resultans impedimentum dirimens opponit. 3<sup>tiò</sup> in cap. *auditis*. 15. de *prescript.* Episcopus contra Ecclesiam agebat collegiatam, quam sibi subjectam esse volebat, Capitulum exemptionem per Privilegium Apostolicum, & posito, quod exempta non esset, præscriptionem libertatis ulterius excipiendo proponebat. 4<sup>tiò</sup> in *L. interpo-*

*sitas*. 13. C. de *transact.* contra transactionem dñæ fiebant exceptiones. 1<sup>mo</sup> quod ex metu. 2<sup>dò</sup>. quod cum proprio servo facta fuerit.

Quæres 1<sup>tiò</sup>. Quæ Regulæ limitationes?

2<sup>æ</sup>. Sequentes: 1<sup>mo</sup>. reus duas contrarias opponens exceptiones, eas absolute veras esse asserere non debet, hoc enim repugnat, cum duo contraria vera esse non possint, sed conditionatè, vel alternativè, ut Ecclesiam vel Privilegio exemptam, vel libertatem præscripsisse. 2<sup>dò</sup>. reus ad duarum exemptionum probationem non simul, sed successivè admittendus est, ut si una probata non fuerit, convollet ad alteram. 3<sup>tiò</sup>. limitanda est hæc Regula per clausulam: *nisi lex impediatur*. Sunt etenim plures casus excepti, in quibus, si exceptio opposita probata non fuerit, locus non datur secundæ: ita Conventus de noxa servi, sive de damno per servum illato, de pauperie per quadrupedem causata, de debito, pignore, possessione, si negaverit servum, quadrupedem, Chirographum, in quo debitum expressum, pignus, possessionem, & mendacii sit convictus, aliâ volens uti exceptione non auditur. *L. quoties* 21. ff. de *noxal. action.* *L. 1 §. noxa autem.* ff. *si quadrup. pauper.* Sc. *Authent. contra C. de non numer. pecun. Authent. item Possessor. C. qui potior. in pign. hab.*



## C A S U S.

**F**reybertus tam in causis civilibus quam Ecclesiasticis versatissimus Caulidicus defendit.

(A) *Primò*. Pastorem Ecclesiæ, in qua plures Parochiani qui antea in alia Parochia habitaverunt, in qua adhuc prædia habebant, ex quibus prædiis jam à pluribus annis Decimas Parocho habitationis, & non Parocho, in cuius Parochia prædia existebant, solvebant, & cum Parochus antiquæ Parochiæ opponeret, ad se suæ Parochiæ Decimas pertinere, eum Freybertus duplici repellebat exceptione, *1mò* Quod Decimæ ratione administrationis Sacramentorum deberentur, quæ Parochus habitationis administraret. *2dò*. Quod Parochus Decimas prædiorum in antiqua Parochia situatorum jam præscripsisset.

(B) In causa appellationis cujusdam Episcopi, qui à Nuntio Apostolico excommunicatus erat, eò quod in Concilio Provinciali comparere detrectasset, Episcopum defendit. *1mò*. Quod non fuerit contumax, quia durante Concilio Provinciali Viennæ in Legatione detinebatur, cui cum opponeretur, quod tempore Concilii Episcopus non Viennæ, sed in sua Diocesi existerit, replicavit Freybertus Episcopum à comminatione excommunicationis appellasse.

(C) In causa beneficii, vacante Canonicatu in Ecclesia collegiata Episcopus eundem suo Sacellano contulit, Capitulum autem, quia sustinet, quod

Episcopus Decano & Capitulo personam præsentare teneatur, & si id non fiat, collatio sit penes Capitulum, alium suscepit in Canonicum, contra quem Sacellanus Episcopi Romæ Canonicatum præterdit. Freybertus susceptum à Capitulo defendit. *1mò*. Ostendendo, quod ad Capitulum pertineat collatio, cumque hoc plenè probare non posset, excipit, Episcopi Sacellannum Canonicatum renuntiâsse, & Canonicatum renuntiatum suo Clienti fuisse collatum.

(D) In causa Monasterii parochialem Ecclesiam sibi adjunctam habentis, hanc Episcopi Vicarius visitare tentavit, ex causa, quod in Diocesi sita esset. Monasterium defendit Freybertus. *1mò*. demonstrando, quod Antecessor Episcopus Ecclesiam parochialem Monasterio iure plenissimo incorporasset. *2dò*. Quamvis Ecclesia memorata Episcopo quandoque subiecta fuisset, quod nihilominus Monasterium præscriptione se tueri valeat, cum per quadraginta annos ipsam pacifice possedisset.

(E) In causa alterius Monasterii exempti. Norbertus illius Abbas electus ab Episcopi Officialibus circumventus, ab Episcopo confirmationem petit, & obtinet, ei obedientiam jurando. Successorem præfati Norberti Episcopus benedici vetat, nisi prius petita ab ipso confirmatione, quam sub pœna excommunicationis & interdicti peti mandat. Abbas Successor Sedem Apostolicam appellat, & Episcopus



eum excommunicat. *Freybertus* Advocatus ostendit 1<sup>mo</sup> Norbertum Antecessorem absque scitu Conventus & Ordinis confirmationem ab Episcopo petisse. 2<sup>do</sup>. Monasterium esse Ordinis notoriè exempti. 3<sup>io</sup>. Monasterium jam à quadraginta annis libertate & exemptione fuisse gavifum.

(F) In causa Jurisdictionis. Episcopus Ecclesiam, in qua Abbas Jurisdictionem Episcopalem sub titulo Archidiaconi exercet, ad se lege Diocesanâ spectare prærendit. *Freybertus* Abbatis Advocatus ad elidendam Episcopi actionem, Pontificia producit privilegia, & per testes probat, ab Abbatibus tanto tempore possessam esse Ecclesiam, ut in ea Jus Episcopale præscripsisse videantur.

(G) Abbas Gilbertus suos religiosos à quocunque Episcopo Ordinari posse prætendebat, *Freybertus* ejus Advocatus pro hoc adduxit 1<sup>mo</sup> præscriptionem. 2<sup>do</sup> Papale privilegium, in quo religiosis dabatur facultas, ut, si Episcopus eos ordinare noller, aut excommunicatus esset, quemcunque Episcopum pro suscipiendis Ordinibus adire possent. Sed Abbas causâ cecidit.

(H) In causa electionis. Sede Epi-

scopali vacante, Capitulares die statuto ad electionem conveniunt, ac Titium viâ compromissi in Episcopum elegerunt. Cùm autem quidam ex Capitularibus compromissum impugnant, eò quod Compromissarii fines essent egressi compromissi, alterâ die convenientes eundem Titium per viam scrutinii, uno Capitularium absente, nec vocato, elegerunt. *Freybertus* primæ electionis voluit sustinere valorem, in qua cum aliqui difficultatem sentirent, ad minus secundæ electionis sensu petendam esse confirmationem.

(I) Caji bos vaccam sui vicini occidit, Caju in Judicio Conventus Advocato utitur *Freyberto*, ac primò Bovem, qui vaccam occidit, negat esse suum, sed cum probaretur, quod bos occidens Caji esset, factum negavit.

(K) Petrus debitor solvit centum Imperiales creditori Paulo, cui procurator Petri tantundem solverat, quare Petrus centum Imperiales tanquam indebitè solutos reperit. Pauli creditoris Advocatus *Freybertus*, primò negat à procuratore se pecuniam accepisse, sed cum manu propriâ convinceretur, excipit pecuniam pro alio debito à procuratore fuisse solutam.

## RESOLUTIO.

(A) **C**Asus habetur in principio *caus.* 13. q. 1. Ubi rei, sive Clerici novæ Ecclesiæ Conventi respondent, quod decimæ ratione administrationis Sacramentorum debeantur, cui cum Clerici Parochiæ antiquæ op-

ponerent, personales quidem decimas & oblationes Parochi novæ Ecclesiæ Parochialis, non autem prædiorum in aliena Parochia situatorum decimas deberi, secundò excipiunt novæ Ecclesiæ Clerici; decimationes etsi Jure vobis



bis debentur, ut asseritis, tamen triennalis obiectio vobis silentium imponit, ad *Can. facultates. 1. caus. 13. q. 2.* Aliud simile ad hanc *Regulam* est in *Can. quisquis. 38. caus. 24. q. 1.* Ubi Vincentius Donatista objiciebat, quod Catholici ad Communionem hæreticos recipere, cui responderet S. Augustinus: Si verum est, displicet nobis, sed non credimus, nec hoc monstratis, quæ prima erat exceptio. Etsi verum esset, multos tamen toleramus, quos corrigere non possumus, En secunda exceptio.

(B) Casus est expressus in *Cap. cum parati. 19. de appellat.* Ubi Episcopus Hispaniæ contra Cardinalem Legatum, qui cum ob Contumaciam non comparitionis Sententia excommunicationis perstrinxerat, duplicem opponit exceptionem. 1<sup>mò</sup> Contumaciam negat, eo quod Legatione detentus comparere obligatus non fuerit, cui cum Legatus objecisset, quod tempore mandati ad comparandum in Legatione non fuisset, 2<sup>dò</sup> opponit, quod à mandato excommunicationis comminatorio per appellationem provocasset.

(C) Casus deciditur in *Cap. post electionem. 7. de concess. præbend.* ubi Sacellano, qui ab Archi-Episcopo præbendam obtinuerat, præbenda adjudicatur, & proviso à Capitulo imponitur, ut probet, quod Sacellanus præbendæ renuntiaverit, & renuntiatam profus à Capitulo secundâ vice ab Archi-Episcopo impetraverit.

(D) Casus & solutio ejus è *Cap.*

*Constitutus. 6. de Religios. domib.* petenda est ubi monasterium in sua libertate manuteneretur, si vel privilegium vel quadragenariam ostenderit præscriptionem.

(E) Casus detumptus est ex *Cap. cum dilectus. 8. de religios. domib.* Ubi decernitur, quod si constiterit Abbatem ad Sedem Apostolicam, antequam Episcopus in eum excommunicationis, & in Monasterium interdicti Sententias tulerit, legitimè appellasse, vel monasterium à Jurisdictione Episcopi exemptum, eo non obstante, quod Abbas ab eo circumventus præter Fratrum suorum assensum ei obedientiam repromisit (cùm fraus & dolus illi patrocinari non debeant) Sententiæ non teneant, & tam Abbas, quàm Monasterium ab impetione Episcopi sit absolvendum.

(F) Ita est in *Cap. auditis. 15. de præscript.* Ubi Abbas Ecclesias, quæ alias ad Episcopum lege Diocesana spectabant, ab ea solutas sibi que pleno Jure subjectas vel Privilegio Pontificio, vel præscriptione probare teneatur.

(G) Idem est in *Cap. veniens. 19. de præscript.* Ubi Abbas, quod suos ad quemcunque Episcopum pro Sacrorum Ordinum susceptione mittere posset, prætendens condemnatur, quia primò præscriptionem adduxerat, quod in casu, quo Episcopus suos ordinare recusaret, ad quemcunque alium Episcopum pro ordinatione eos mittere valeat, & ita Abbas, quando privilegium impetravit, Juri præscriptionis re-




nuntiavit, præsertim cum Privilegio usus fuerit. Si verò nondum consummata fuit præscriptio, dum impetratum privilegium, bonam fidem non habuit, nec consequenter præscripsit.

(H) Secundùm doctrinam *Cap. ut quis. 25. de elect. in 6.* electus unam electionem Confirmatori præsentare debet confirmandam, quâ rejectâ non fit transitus ad secundam.

(I) Cajus in pœnam mendacii ad reparationem damni in solidum condemnatur. *L. 1. §. 15. ff. si quadrup. pauper.*

(K) Casum tradit *Cap. fin. de solution.* Ubi statuitur quod is, qui conqueritur, indebitam pecuniam se solvissè, probare teneatur, quod indebitè sit soluta, nisi ejus adversarius solutionem inficiens exinde convincatur, tunc enim diffidenti onus incumbit probandi, quod debitum recepisset, ideòque Creditor negans solutam pecuniam, postquam solutio probata, in se onus probandi suscipit, quod pro alio debito soluta fuerit pecunia.



## REGULA XXI.

*Quod semel placuit, amplius displicere non potest.*

**Q**uzres primò. Quis hujus Regulæ sensus?

2. Quod ex libero voluntatis consensu semel ita placuit, ut inde Jus alteri sit quæsitum, eo invito, & cum Juris jam quæsitæ læsione revocari non potest. Concordat Regula 33. *mutare Consilium quis non potest, in alterius detrimentum.*

Exempla Regulæ sunt imò in matrimonio Carnali maximè consummato, quod nullâ humanâ potestate dissolubile est. 2do in professione religiosa. 3tio. In Contractibus & Conventionibus, sicut enim ab initio libera unicuique contractum in eundi,

vel non in eundi est potestas, sic constitutæ semel obligationi invito compaciscente renuntiare non licet. *L. cur. §. de obligat. & act. 4to* in Juramento. *Cap. cum contingat. 28. de Jurejur. Cap. quamvis. 2. de pact. in 6. 5to* in votis, licet enim universis liberum sit arbitrium in votendo, usque adeo tamen solutio necessaria est post votum, ut sine propriæ salutis dispendio alicui non liceat resilire. *Cap. licet. 6. de voto. 6to* in judiciis, in quibus nec actori post litem contestatam reo invito recedere permissum est *L. pure. §. ff. de doli mal. & met. except.* nec reus, postquam semel per litis contestationem in

Judi-



Judicem consensit, eum velut incomperentem vel suspectum recusare potest, nisi nova suboriatur causa, *Cap. 1. de judic. Cap. pastoralis. 4. de excepti.* nec Judex Sententiam definitivam, quam semel pronuntiavit, revocandi habet libertatem. *L. Judex § 5. de re judicat. 7mo* in electionibus publicatis electoribus ab electo recedere non licet. *8vo* in beneficiorum collationibus & resignationibus, quod semel placuit, revocari nequit. *Cap. extransmissa. 3. de renuntiat. Cap. si tibi absenti. 17. de praebend. in 6.*

Quæres *secundò*. Quæ sunt ab hac Regula exceptiones?

*1o*. Sequentes: *1mo* licitum est recedere ab eo, quod semel placuit, si cum Consensu utriusque partis fiat recessus, præterquam in matrimonio Consummato, quod non nisi morte naturali unius ex Conjugibus dissolubile est, & professione Religiosâ, à qua recedere nefas est, nisi ad Ordinem transeat strictiorem.

*2do*. Impuberes postquam pubertatis annos attigerunt, à sponsalibus, quæ ante pubertatem contraxerunt, recedere possunt *Cap. de illis. 7. Cap. à nobis. 8. de desponsat. impuber.*

*3to*. Sponsi de præsentibus, sive qui ratum contraxerunt matrimonium, ante ejus consummationem resilire valent, religionem ingrediendo, ad quem finem datur bimestre, intra quod matrimonium consummare non tenentur,

sed an religionem intrare velint, deliberandi habent facultatem. *Cap. verum. 3. Cap. ex publico. 7. de convers. conjugat.*

*4to*. In contractibus innominatis: do, ut des, do, ut facias, facio, ut des, facio, ut facias ante impletionem Contractus ex parte unius datur locus pœnitentiæ. *L. si pecuniam. §. ff. de condition. caus. dat.*

*5to*. In mandato ac Societate re adhuc integrâ tam ex parte mandantis, quàm mandatarii pœnitere licet. *§. Mandatum instituit. de mandat. §. manet. instituit. de Societ.*

*6to*. In ultima voluntate, quàm quilibet semper mutare potest, imò testator ne à priori voluntate recedat, sibi ipsi legem ponere nequit. *L. si quis. 22. ff. de legat.*

*7mo*. In Sententia interlocutoria, quam Judex revocare & corrigere potest. *Cap. cum cessante. 60. de appellat.*

*8vo*. In Appellatione, pars enim appellans ab interpositâ appellationis prosecutione semper desistere potest. *L. si quis libellos. 28. C. de appellat.*

*9no*. Demum Generaliter ab illo, quod ante placuit, recedere licet, quando nova supervenit causa, aut tale quid ad notitiam deducitur, quod ante cognitum prius placitum impedivisset, cum ea, quæ de novo emergunt, novo indigeant consilio. *Cap. pastoralis. 4. de excepti.*



## CASUS.

**G**ebelina Matrimonium promisit Titio, quem, quia aliquando Monachum, & cum aliis fornicatum fuisse intelligit, à Sponsalibus recedere intendit. (A) Aut simplex castitatis votum emittendo, aut eum alio contrahendo. (B) Id advertens Titius Gebelinam dolosè inducit, ut coram Parocho contrahat, quæ tamen matrimonium contractum consummare recusat. (C) Sed votum castitatis facit. (D) Et matrimonium invalidum esse præ tendit. Titius Gebelinam ad Officialem citat, qui Cajum Causæ nominat Commissarium, quem post litem contestatam ut suspectum recusare conatur. (E) Tandem in arbitros uterque compromittit, adjecto juramento, quod eorum stare velint arbitrio. Arbitri dant laudum, quod Gebelina validum sit cum Titio matrimonium,

Gebelina ne laudo stare, & matrimonium consummare teneatur, Religionem strictiorem ingreditur, in qua cum propter nimium rigorem manere non possit, exit è Novitiatu. (F) Et laxiorem ingressa, testamentum excluso Marito, quem ante ex asse hæredem instituerat, in Monasterii condit favorem. (G) Professa ad strictiorem Ordinem sese obligari existimat, cum recordetur, quod ante matrimonium hunc Ordinem ingrediendi, & in illo usque ad vitæ finem perseverandi votum emisit. (H) Monasterii Mater resistit, quâ licet contradicente Gebelina cum tota substantia sua ad prius Monasterium redire parat, maxime cum Moniales illius eam absque novo Novitiatu se suscepturas appromittant. (I)

## RESOLUTIO.

(A) **G**ebelina à sponsalibus recedendi habet facultatem, quando novum quid emergit, vel ad nuptiam venit, quod si tempore Contractus notum fuisset, sponsalia non iniisset. *Arg. Cap. ut Circa. 4. cap. nulli. 8. de elect. in 6. cap. pastoralis. 4. de except. de novo enim emergentia novum requirunt Contentum. Arg. Cap. infirmante. 25. de offic. delegat.*

(B) Non simplex castitatis votum, sed Ordo sacer, professio religiosa, &

votum ingrediendi religionem contracta dirimunt sponsalia. *Cap. meminimus. 3. qui Cleric. vel vovent. Sponsalia autem de præsentis solvunt præcedentia Sponsalia de futuro. Cap. si inter. 31. de sponsal.*

(C) Matrimonium Contractam Gebelina non nisi post bimestris spatium consummare tenetur. *Cap. ex publico. 7. de convers. Conjugat.*

(D) Quia votum castitatis emisit, matrimonium licitè consummare nequit,



quit, sed, ut votum seruet, ad religionem ingrediendam manet obligata,

(E) Postquam semel in Commissarium consenserat, nisi nova emergat causa, ipsum velut suspectum perhorrescere non poterat.


(F) Declarato valido *Gebelina* matrimonio, in ejus erat arbitrio, vel id ipsum consummare, vel religionem intra bimestre intrare, *Cit. cap. ex publico.*

(G) Ante professionem laxiorem Ordinem ingredi valebat. *Arg. cap. ad nostram. 8. de Regulari.* Renuntiationes Novitiorum sub certa forma, quam *Trident. Sess. 25. de regular. Cap. 16.* præscribit, sunt instituendæ, quam tamen ad testamenti confectionem non esse extendendam docet S. Congregationis declaratio.

(H) Quamvis votum de strictiore Ordine ingrediendo emisisset, illi, quod Ordinem hunc ante ingressa fuerit, jam satisfactum esse notatur, &

licet in strictiori Religione manendi votum fuisset, nihilominus per professionem in laxiori Ordine factam ab illo libera est, & licitè in eo perseverare potest, voto enim priori tanquam simplici per secundum solenne est derogatum. Est expressus Textus *in cap. qui post votum. 5. de regular. in 6.*

(I) Mater efficaciter resistere nequibat, licet enim, qui ad strictiorem Ordinem transire cupit, à Superiore licentiam petere debeat. *Cap. licet. 18. de Regular. Gebelina* nullam amplius de bonis relictis disponendi habet potestatem; Annus Novitiatus integer debet esse & continuus, ideoque *Gebelina*, si, priusquam ad laxiorem Ordinem transmigraret, annum probationis in strictiori Ordine, è quo egressa est, non compleverit, novo Novitiatus anno probanda est, conformiter dispositioni. *Trident. Sess. 25. de Regular. Cap. 15.* quem Moniales remittere non possunt.



## REGULA XXII.

*Non debet aliquis alterius odio prægravari.*

**Q**Uæres primò. Quis hujus Regulae sensus?

**R.** Ob alterius malè agentis factum, alius, qui ejus nec socius, nec particeps fuit, pœnam, damnum, aliudve in commodum sustinere non debet. *Ra. R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.*

ratio est: quia æquitas justitiæ exigit, ut ille solum gravetur, qui deliquit; & quis locus foret ignorantæ, si alie um crimen macularet nescientem? *Can. quis locus. 2. caus. 1. q. 4.*

Exempla hujus Regulae sunt in *Can.*

M fi



si habes. 1. caus. 24. q. 3. ubi propter factum Patris filius non anathematizatur. in cap. si Compromissarius. 37. de elect. in 6. dum Compromissarii indignum elegerunt, propter hoc jure eligendi non privantur Compromittentes.

Quæres secundo. Quæ ab hac Regula exceptiones?

R. Et si pœna æterna, & spiritualis excommunicationis pœna nunquam pro delicto feratur alieno, attamen ali-

quando crimen unius aliis obesse nocetur, sic hæres pro defuncto, fideiutor pro Principali, ordinatus in odium gravatur ordinantis. *Can. neminem. 1. dist. 70.* in detestationem criminum Læsæ Majestatis, hærescos, Schismatis &c. filii puniuntur delinquentium; filius illegitimus ob excessum Patris excluditur à beneficiis, quia Ecclesia justè meruit in filio paternam propagari incontinentiam.

## C A S U S.

**H**ugolinus Laicus malè Episcopum suum tractavit, & ob hoc cum tota domo fuit excommunicatus. (A) Reconciliatus Episcopo sine titulo ad Ordines admissus ab Archi-Episcopo suspenditur. (B) Postquam Canonicus factus est, in electione Decani omnes in eum compromiserunt, qui indignum nominavit. (C) Ex quo ad superiorem devoluta est electio. (D) Qui Hugolinum Decanum nominavit. Hic mittens Procuratorem ad Episcopum

pro confirmatione, ut dispensationem in natalibus quoque peteret, ei injunxit, quod Procurator petere neglexit. (E) Unde Confirmatio postea declarata est invalida. (F) Et facta nova Decani nominatio, cui cum major Capituli pars se opponeret, ab Episcopo totum Capitulum interdicto est suppositum. (G) Quod quidam Canonici, qui innocentes se noverant, non observantes nominatim sunt excommunicati. (H)

## R E S O L U T I O.

(A) Propter delictum unius totam domum excommunicationis sententiâ perstringi non posse constat ex *Can. si habes. 1. caus. 24. q. 3.* & concordat. *Can. Judai. 7. Caus. 1. q. 4. cap. unic. de injur. & dam. dat. in 6. Cap. sunt. 33. de Simon.*

(B) Rectè suspensus est secundum

*Can. 1. & 2. dist. 70.* non tam in odium ordinantis, quàm ordinari, qui absque titulo Ordines suscipere præsumpsit.

(C) Quantumvis Hugolinus indignum nominando in conscientia peccaverit, pœnam tamen suspensionis à beneficiis, quæ in illa obtinebat Ecclesia, quam taliter eligendo specialiter



ter nolcitur offendisse, non incurrit, hæc namque non aliorum, quàm Episcoporum & Superiorum ipsorum electionibus, cum peccatur in ipsis, vindicat sibi locum. *Cap. si Compromissarius. 37. de elect. in 6.*

(D) Si Compromittentes electionem indigni non ratificaverunt, cum ipsos Compromissarii odio non conveniat pręgravari, elegendi potestas liberè revertitur ad eosdem. *Cit. cap. si Compromissarius.*

(E) Principalis gravatur odio Procuratoris. *Can. biduum. 29. caus. 2. q. 6. cap. cum olim 7. de caus. possess. & propriet.* Sic crimen lætę Majestatis in filiis puniuntur, nam paterno debent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hæreditarii criminis exempla metuntur. *Can. si quis. 22. caus. 6. q. 1.* Filii quoque hæreticorum tanquam progenies damnatorum Canonice subjiuntur ultioni. *Cap. vergentis. 10. de hæret.* Civitati cujus cives quidam suum Episcopum occiderunt, dignitas subtrahitur Episcopalis. *Can. ita nos. 25. caus. 25. q. 2. perit justus & pili-*

mè pro impio. *Can. in sancta. 41. de consecrat. dist. 1. plura exempla adferuntur can. in Ecclesia 11. caus. 1. q. 4.*

(F) Confirmatio invalida est, nec Episcopus dispensandi potestatem habet, etsi enim ad minores Ordines cum illegitimo dispensare valeat, ad dignitates tamen & Personatus ac alia beneficia curam animarum habentia illegitimè natus sine dispensatione Sedis Apostolicę minimè promovendus. *Cap. fin. de filiis Presbyter.*

(G) Propter majoris Capituli partis delictum Capitulum ipsum interdicto supponi potest, sicuti propter publicum Principis crimen totum ejus regnum juste interdicto subjicitur. *Cap. non est vobis. 11. de sponsal.*

(H) Interdicto tam innocentes, quàm nocentes afficiuntur, illudque servare tenentur. *Arg. cap. quæsivit. de his qua sunt à maj. part. capit. cap. si sententia. 16. de sent. excom. in 6. qua contraria videntur, pulchrè concordat Gloss. in princip. caus. 34. q. 3.*



## REGULA XXIII.

*Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*

**Q**uæres 1mo. Quis hujus Regule sententia?

2o. Propter actionem, quæ dolo vel culpâ caret, nemini pœna est infligenda.

M 2

da.



da. Exempla sunt in *an. satis perversum*. 7. dist. 56. *Cap. cognoscens. 2. de constit.* *L. si putator. 31. ff. ad Leg. aquil.* Ratio est; quia pœna est mentura culpæ, ubi autem non est mensurandum, mensura locum habere nequit.

Quæres *secundo*. Quæ ab hac Regula exceptio?

R. Sit unica Regulæ his verbis: *nisi subsistit causa*, inclusa exceptio, ita ab Ordinibus & Ecclesiasticis beneficiis præter illegitimos & ex parentibus hæreticis progenitos repelluntur ii, qui

etiam ignari ab alio corruptam sibi desponsarunt uxorem. *Can. precipimus. 10. dist. 34.* Clericus leprosus propter scandalum & abominatio-em populæ ab administrationis Ecclesiæ removetur officio per *Cap. tua. nos. 4. de Cleric. agrot.* Qui beneficium per Simoniam ipso licet ignorante commissam adeptus est, id ipsum dimittere jubetur. *Cap. nobis. 27. de Simon.* Dominus servi, qui noxam sive damnum intulit, vel noxam emendare, vel Servum pro noxa dare debet. *Inst. de noxal. act. in prin.*

## C A S U S.

**I**vo Viduus ad statum aspirat Ecclesiasticum, cui plura obmoventur, 10. quod ante aliquot annos servi illius iussu ligna cædentes rusticum casu occidissent. 20. quod defuncta Ivo-nis uxor ante matrimonium à Clerico corrupta fuisset. 30. quod stante Conjugio in causa criminali referentem egisset.

(A) Quibus non obstantibus ad Ordines dispensativè admissus, postquam per annos quosdam in Sacerdotio laudabiliter conversatus esset, in lepram incidit, ob quam Canonicatu privatus reliquum vitæ in Leprosorio egit.

(B)

## R E S O L U T I O.

(A) **O**B factum servorum, nisi iusserit, Dominus irregularis non est. *cit. an. satis perversum. 7. 56.* Si uxor Ivo-nis verè corrupta fuerit, & ordines suscipere, & in susceptis ministrare Ivo prohibetur. *Can. si cuius. 11. dist. 34.* nec tunc ob culpam, sed propter Sacramenti defectum ab altaris ministerio removetur. Si in causa criminali pronuntiaverit, ex defectu lenitatis irregularitatis incurrit impedimentum.

(B) Sacerdos leprosus ab officio est

removendus, ita tamen, ut eidem ex facultatibus Ecclesiæ necessaria, quamdiu vixerit, ministraretur sustentatio. *ap. tua nos. 4. de Cleric. agrot.* nunquam sine causa, sapius tamen absque culpa quis suo spoliatur privilegio. *Causas Gloss. in Can. renovantes. 6. dist. 22.* hoc versu enumerat:

*Paupertas, odium, vitium, favor, & scelus ordo.*

*Personas spoliant, & loca jure suo.*

R E



# REGULA XXIV.

*Quod quis mandato facit iudicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regulae Sensus ?

*R.* Qui iudicis, Patris, Prælati, Domini, vel alterius Superioris mandato obtemperat, à dolo excusatur, quæcunque enim Judex aut Superior præcipit, justè præcipere præsumitur. *Cap. sicut nobis. 16. de Sent. & rejudic. exempla sunt in milite, qui jussu Ducis sui occidit. Can. miles. 13. caus. 23. q. 5. in laicis Clericos de mandato Episcopi Cipientibus. Cap. si Clericos. 15. de Sent. excom. in 6.*

Quæres secundò. Quæ faciendæ Regulae limitatio?

*R.* Addendum est: *Nisi justa non parendi subest causa*, idèoque imò si mandatum naturali aut divino juri adversetur, parendi non est obligatio; sic Conjugum dirimentis conscia impedimenti, ad mandatum Judicis, etiam excommunicationem minitantis debi-

tum Conjugale reddere nequit. *Cap. litteras 13. de Restitut. spoliat. cap. inquisitioni. 44. de Sent. excom.* item qui per Sententiam falsis allegatis nixam in Causæ Controversia triumphavit, per hujusmodi Sententiam adjudicatum sibi retinere nequaquam potest. 2dò. Si Judex inferior contra Jus manifestum, in quo dispensare nequit, aut contra Judicis Superioris imperat mandatum, subditus non tantùm obedire non tenetur, sed etiam obediens à culpa non excusatur. 3tò. Si Judex quidpiam, quod ad officium illius non pertinet, vel absque prævia Causæ cognitione, vel alterâ parte non citatâ, nec audita &c. mandare tentaverit, non est obsequendi debitum, cum in tali casu contra Judicis mandatum militet præsumptio. *Cap. conquerente. 7. de Restitut. spoliat.*

## C A S U S.

**K**olomannus Abbas conversum habet incorrigibilem, quem à famulis suis scutico excipi jubet, qui cum metu excommunicationis sese ex-

cusarent (A) Præcepit monachis, ut eum verberibus corripere. (B) Sic correptus conversus in militiam aufugit, in qua uxorem duxit; aliquando

M 3

Sacel-



Sacellanum Campeftrem interrogans , an uxori matrimoniale debitum reddere poffit , refponfum accepit : Si à tuo Officiali adstringaris , ut velut maritus uxori tuæ cohabitares , ex præfenti *Regula* debitum reddere potes. (C)

tandem in Capitali deprehenfus flagitio ad mortem condemnatur. Unus ex militibus Sententiæ executoribus eum religiosum effe fcivit , idèoque timet , ne irregularitatem incurrat. (D)

## RESOLUTIO.


(A) **B**Enè fe famuli excufarunt , quia Abbas , fi caufa fubfiftat , religiosum fubditum vel per feipfum , vel per monachos , aut Clericos excipere debet , aliàs tam ipfe , quam excipientes excommunicationem Sedi Apoftolicæ refervatam incurrunt , *Cap. Universitatis. 24. de Sent. excom.*

(B) Religiofi juffi à Præfato incorrigibilem excipere poterant per *Regulam. & cit Cap. Universitatis.*

(E) Matrimonium poft folemnem profeflionem attentatum invalidum es-

fe non dubitatur. *Cap. unic. de Voto. in 6. Juffus ab Officiali , aut quacunque potestate etiam Ecclefiaftica debitum reddere non poterat , in iis enim , quæ juri naturali & divino contrariantur , plus obediendum eft Deo , quàm hominibus. Can. fi Dominus. 93. Caus. 11. q. 3. Cap. inquisitioni. 44. de Sent. excom.*

(D) Miles fanguinis Sententiam exequens non incurrit irregularitatem ex delicto. *Can. miles. 13. caus. 23. q. 5.*



## REGULA XXV.

*Mora sua cuilibet est nociva.*

**Q**uæres primò. Quid & quotuplex est mora ?

*Re. 1mò.* Mora eft culpabilis & damnosa eo tempore , quo quis potest & debet , quidpiam dandi aut faciendi dilatio. Sic debitor , qui folutionem debiri , dum debet & potest , non exhibet , morofus debitor appellatur.

*2dò.* Mora alia eft regularis , alia irregularis. Regularis , five , ut alii vocant , mora ex perfona eft , quando ex legitima Creditoris interpellatione debitor in mora eft : Ut Titius Cajo prædium pro 300. Imperialibus vendidit , die vel tempore , quo folutio præftanda , non expreffo , Cajus à

tem-



tempore, quo à Titio interpellatus solutionem non præstitit ex persona morosus fit debitor. *L. mora. 32. ff. de usur & fruct.* mora irregularis est, quando ipso jure temporisque lapsu sine ulla Creditoris interpellatione debitorem ad solvendum monet obligatio Sic 1<sup>mo</sup>. Possessor malæ fidei à malæ fidei tempore est in mora, ut fur, vel raptor, vel damnificans. *L. fin. ff. de Condict. furtiv. 2do.* Qui minori ex fideicommissio, Legato, aliove Bonæ fidei contractu debet, ex Lege absque ulla hominis interpellatione in mora constituitur. 3<sup>mo</sup>. Emptor, qui ex re empta & tradita fructus percipit, pretium non solvens morosus est debitor. *L. Curabit. 5. C. de act. empt. & vendit. 4to.* in Contractibus, in quibus certa dies pro solutione determinata, dies pro homine interpellat, ac morosum efficit debitorem. *L. magnam. 12. C. de contrah. & Com. stipulat.*

Quæres secundo. Quis hujus Regulæ sensus?

ꝛ. Quando debitor de eo, quod debet, præstando, sive ab homine, sive à jure interpellatus, id non præstat, mora debitori, non verò Creditori nocet, ita, ut omnia incommoda ex mora emergentia, etiam Calum fortuitum præstare & refarcire obligetur.

Exempla sunt 1<sup>mo</sup> in *Can. decima. 66. caus. 16. q. 1.* Parochianus in mora solvendi Parocho suo decimas, eas, etsi à millibus ablatae fuerint, postmodum solvere tenetur. 2<sup>do</sup>. Com-

modatarius, qui in mora est restituendi librum commodatum, qui casualiter incendio periit, æstimationem libri solvere obligatur. *Cap. unic. de commod. 3110.* Depositarius deponenti rem suam requirenti reddere moratus, re post moram deteriorata, refarcire deteriorationem tenetur. *Cap. bona fides. 2. de deposit. 410.* fur semper est in mora, idèoque rei æstimationem præstare tenetur, quamvis absque culpa sua eandem perire contingat. *L. Subracto. 9. C. de furt.*

Quæres tertio. Quæ ad hoc, ut Regula teneat, requiruntur?

ꝛ. Ad hoc, ut ex mora quis teneatur, requiritur 1<sup>mo</sup>. Ut se debere sciat, vel ad minus scire debeat. 2<sup>do</sup>. quod sive à jure, sive ab homine ad solvendum debitum fuerit interpellatus. 3<sup>mo</sup>. Ut dandi vel solvendi habuerit potentiam. 4<sup>to</sup>. Quod moram interpositam non purgaverit.

Quæres quarto. Qualiter mora purgatur?

ꝛ. Mora purgari dicitur, dum debitor morosus, antequam creditor ex solutionis dilatione damnum accepit, vel actu solvit, vel solutionem offert, quam si creditor, dum potuit, acceptare noluit, per posteriorem moram Creditoris purgatur prior mora debitoris. *L. illud. 17. ff. de pericul. & com. rei vend. interim si pœna in contractu vel statuto moræ sit apposta, si semel est contracta, non purgatur, nisi lege vel Canone moram purgari posse caveatur. Gloss. ad presentem Regulam.*



## C A S U S.

**L**ambertus Parochus decimas ab aliquot annis à Parochianis non solutas exigit. (A) Hi se excusant, quod decimæ furto fuerint Ablatæ. (A) Vicino suo Pastori ante triennium librum mutuavit, quem plenè corruptum mutans reddere intendit, Lamberto novum librum exigente. (C) Ecclesiam

filialem, ad quam Lambertus pastorem nominare tenetur, per anni spatium à vicinis P. P. Recollectis administrari permisit. (D) Ecclesia censum annum à triginta annis non solum unà cum interesse præterdit, excusat se Lambertus, quod in mora non fuerit, cum solutio non sit exacta. (E)

## R E S O L U T I O.

(A) **P**arochiani sunt in mora, cum Parocho de jure communi decimas solvere teneantur. *Can. decima. 66. caus. 16. q. 1. & quidem statim postquam fuerint collecti. Cap. eum homines. 7. de decim.*

(B) Propter moram quoque percassum fortuitum non excusantur. *Cit. cap. cum homines.*

(C) Si deterioratio libri commodati culpâ accidit Commodatarii, ad refarciendum damnum tenetur. *Cap. unic. de Commodat.* Casus fortuitus (nisi acciderit culpâ Commodatarii, vel inter venerit pactum, vel in mora fuisset) ei imputari non debet. *Cit. cap. unic.*

(D) Ad Superiorem devoluta est Ecclesiæ provisio, nec post elapsum semestris spatium, priusquam Superior nominando provideat, moram put-

gare potest, dum enim dies à Canone vel lege pœnam imponente adjicitur, pœnâ jam incursâ, mora purgari nequit.

Exempla sunt in *can. longinquitate 64 caus. 12. q. 2. Can. puella. 2 caus. 20. q. 2. Cap. cum in cunctis. 7. de elect. cap. licet. 3. de suppl. neglig. &c.* nisi per legem indulgeatur, quod mora purgari, & si lapsa termino præstandum præstetur, pœna valeat evitari. *Can. quoniam. 1. dist. 100. Cap. litteras. 4. de supplend. neglig. Cap. propter. 3. §. verum de locat. de conduct.*

(E) Si certa dies, quâ Canon solvendus, in Contractu censûs fuerit expressa, Lambertus in mora fuit, cum dies pro homine interpellat, si verò solutionis dies non fuerit apposta, ob moram non tenetur.





REGULA XXVI.

*Ea, quæ fiunt à iudice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regulæ sensus ?

*ꝛ.* Quod facit Judex vel Superior limites suæ Jurisdictionis aut potestatis egrediendo, nulliter facit. Ratio est: quia efficacia omnium illorum, quæ à iudice vel Superiore fiunt, in ejusdem fundatur Jurisdictione, quæ velut fundamentum respectivè ad personam, causam, territorium &c. deficiente, acta iudicis non subsistunt. Ita nulliter agit Judex imò si Jurisdictionem in non subditum exercet. *Cap. est clerici. 4. de judic. 2do.* Si Jurisdictionem ad causam non commissam extendat. *L. 1. C. ubi in rem act. exercet.*

*debeat. 3tio.* Si dicat Jus extra territorium. *Cap. ut animarum, 2. de Constitut. in 6. 4to.* Si ordinem juris non observet. *Cap. consequente. 7. de restitut. spoliat.*

Quæres secundò. Quæ à Regula exceptio ?

*ꝛ.* Regula non tenet in Spiritualibus, quæ potiùs à potestate Ordinis, quam Jurisdictionis dependent, ita Episcopus validè alienam consecrat Ecclesiam, alienum ordinat subditum, quamvis Ordinatus exercitio Ordinum taliter Collatorum careat, & Episcopus Ordinans ab ordinationis actu suspendatur.

C A S U S.

**M**arianus Abbas plurima bona facit. (A) Altaria consecrat, sacella erigit, indulgentias largitur, negligentiam pastorum supplet, Religiosos proprios & extraneos ordinat, causas matrimoniales cognoscit, æquissimus Judex. (B) à duobus super Beneficio litigantibus in arbitrum electus, uni beneficium, & alteri annuam ex beneficio pensionem adjudicat. (C) Duo Religiosi alterius Monasterii Coram Mariano tunc Vicario

*R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.*

Generali cœptam injuriarum actionem expirante jam Vicariatu adhuc continuant. (D) Cum Episcopi licentia in alieno territorio Ecclesiam consecravit, & in Consecratione duorum annorum, in anniversaria autem die unius anni tribuit indulgentiam. (E) à Papa cum suis in Jejuvio Ecclesiastico dispensandi habens facultatem, cum tota familia, ut carnes in quadagesima manducet, dispensare præsumit. (F)

N R E



## RESOLUTIO.

(A) **N**on sufficit bonum facere , nisi & bene fiat. *Arg. Cap. 1. de collus. detegend.*

(B) Omnia illa ad Episcopale spectant officium , quæ proinde simplex Sacerdos exercere non potest. *Cap. aqua. 9. de consecrat. Eccles.*

(C) *Marianus* tanquam solus arbiter redditus Beneficium , super quo litigabatur , dividere nequibat. *Cap. nisi essent. 21. de prabend.* ubi in Delegatos Sedis Apostolicæ factum erat Compromissum , qui partim judiciariâ , partim arbitrariâ potestate similem fecerant divisionem , quam tamen summus Pontifex hoc moderamine adhibito toleravit , ut non ipsum Beneficium , sed persona beneficiati pro pensione maneret onerata.

(D) Cessante Vicariatûs officio , cessat quoque Vicarii Jurisdictio , qui idem cum Principali tribunal habere dignoscitur.

(E) Si *Marianus* Apostolicum non

habebat Privilegium , vi cujus ad minus proprias valebat consecrare Ecclesias , eidem consecratio Ecclesiæ à Diœcesano committi non poterat. *Cir. cap. aqua.* in dedicatione Ecclesiæ ultra annum , & in Anniversario dedicationis ultra quadraginta dies ab alio , quàm à Papa , concessa indulgentiæ remissio excedere non debet. Pro præsentem tamen in consecratione Ecclesiæ indulgentia ad annum , uti & in Anniversario ad quadraginta dies valet per *Regulam jur. in 6. 37. utile non debet per inutile vitari.*

(F) Distinguendum est inter Familiam , de qua quidam cum religiosis in claustris habitantes eorum sunt commensales , & in hos Prælatus obtinet Jurisdictionem : Alii extra claustrum in Monasteriis versantur famulitio , & isti non Prælato , sed proprio subiciuntur Pastori , secundum declarationem Clement. X. in Bulla: *Superna Patrifamilias.*

## REGULA XXVII.

*Scienti & consentienti non fit injuria neque dolus.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regule sensus ?

*R.* Qui in aliquid scienter , nullâ vi , dolo vel metu inductus liberâ Ju-

ris sui efficaciter abdicativâ voluntate consentit , nec injuriam patitur , nec dolo circumvenitur. Ratio clara est : quia nunquam est injuria , nisi Jus per-

longe,



lonæ, quæ injuriatur, resistat, & injuriosam prohibeat actionem, quando autem quis libero voluntatis Consensu juri suo efficaciter renuntiat, Jus non resistit, ideoque nec injuria irrogatur.

Quæres *secundò*. Quæ hujus Regula limitatio?

12. Nisi quis ineffaciter consentiat: quia cum hominis voluntas non fit semper ita expedita, ut juri suo efficaciter renuntiare valeat, consentien-

ti ineffaciter fit injuria. Sic pupillus, minor, Filiusfamilias in certis casibus, quantumcunque consentire videantur, juri suo cedere non possunt. Item Clericus sui percussorem permittens, maritus Conjugis suæ adulterio annuens, Religiosus suo monasterio renuntians ineffaciter consentiunt. *Cap. Significasti. 4. de divortis. Cap. contingit. 36. de Sent. excom.*

### C A S U S.

**N**asutus Monasterium, in quo rigidiorē noverat esse disciplinam, ingressus, post professionem propter teneriorem Corporis complexionem sese excusat à disciplinæ observantia, & quod à cognato ad Monasterium sit inductus sub spe, ut professus ad Parochiam foret promovendus. (A) Extra horam prandii alimenta è mensa furtivè reservata sine scrupulo sumit, cum Superior sciat, vel scire possit, aut debeat, qui licet sæpius prohibuerit, hætenus tamen apud immortificatos nihil efficere potuit. (B) In recreationibus ex joco cum aliis religiosis pugnat, in pugna se invicem per-

tiunt, quandoque leviter, quandoque graviter, etiam cum notabilis læsionis periculo, sed quia hæc invicem de mutuo fiunt Consensu, ex præsentī Regula conscientia remorsum non patitur. (E) Quendam ex sociis suis, ut secum exiret, sub licentiæ prætextu induxit, qui inde gravem debuit subire pœnitentiam, ex hoc, quia socius in egressum consentit, ad satisfactionem se non teneri arbitratur. (D) Propter hæc Et similia Nasutus artiori Monasterio recluditur, qui lamentatur, quod innocens patiatur. Cui opponitur Regula: *Scienti & consentienti non fit injuria.* (E)

### R E S O L U T I O.

(A) **N**on tenet excusatio, cum disciplina non ignoraret rigorem. *Arg. L. 1. ff. de act. emp. & vendit.* ubi emptor diminutionem pretii rei venditæ propter servitutem, quam emptor quidem sciebat, sed venditor

in emptione non manifestavit, petere prohibetur. Nec alterum relevat, cum talis dolus non tam ad circumventionem, quam ad fatuitatem ipsius Nasuti debeat retorqueri, Casus similis est in *Cap. cum dilectus, 6. de his qua vi metusve caus.* N 2 (B) à




(B) A furto minimè est excusandus sub prætextu hujus *Regula*, nam 1<sup>mo</sup> in *Regula* compulsivè exprimitur: *Scienti & consentienti*. Superior autem quamvis sciat, non tamen consentit, sed expressè & positivè contradicit. 2<sup>do</sup>. *Regula* est intelligenda, si Superior consentire possit, in iis verò quæ Religionis *Regulæ* & constitutionibus repugnant, Superiorem consentire non posse per se notum est.

(C) Taliter ludentes, si casu mutilationis accideret in fortunium, à culpa & pœna Canonis, aut irregularitatis periculo non forent immunes: Solet enim contingere, ut, quod ab initio jocosum, in progressu & sine fiat serium. Deinde similes joci & ludi in *Regula* & Constitutionibus graviter sunt prohibiti, ideòque si ex infortunio sequeretur mutilatio, tanquam dantes operam rei illicitæ irregularitatem incurrerent. Exemplum immode-

sti lusûs, ex quo homicidium omnino per accidens secutum irregularitatem induxit, habemus in *Cap. continebatur. 8. de homicid.* nec ex *Regula* præsentis exculationis sumere possunt Argumentum, cum Clericus Canonis privilegio renuntiare nequeat; hinc si Clericus volens & consentiens percutiatur, excommunicatio nihilominus incurritur, etsi enim hujusmodi manûs injectio non violenta, injuriosa tamen Ordini Clericali, in cujus favorem Canon est promulgatus, esse videtur. *Cap. contingit. 36. de Sent. excom.*

(D) Socio, eum sub prætextu licentiæ, quam non habebat, ad egrediendum inducendo, injuriam fecit, pro qua eidem satisfacere tenetur.

(E) *Nasuto*, si juxta *Regulam* & Ordinis sui statuta, quæ scit, aut scire debet, puniatur, non fit injuria; unde nec pœnam declinare potest.



## REGULA XXVIII.

*Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.*

**Q**uæres. Quis hujus *Regulæ* sensus?

R. Dispositiones juri communi derogantes ad personas & Casus non expressos minimè sunt extendendæ. Ratio est: quia Jus commune, cum pro-

pter publicam conditum sit utilitatem, favorabile est, quapropter ei contraria velut odiosa ob similitudinem, paritatem, rationis identitatem in consequentiam ad personas casusque non expressos haud sunt trahenda.

Exem-



Exempla hujus Regulæ sunt. 1mo. Jura laicis fundatoribus in præmium foundationis Juspatronatus concesserunt, idipsum ad Jus electionis, Jus cognoscendi causas spirituales, &c. extendendum non est. *Cap. sacrosancta.* 51. *Cap. messana. § 6. de elect. Cap. quanto. de judic. 2do.* Illegitimus habens dispensationem ad beneficium, eam ad beneficium curatum extendere nequit. *Cap. 1 de filiis presbyter. in 6.*

## C A S U S.

**O**nosimus Studiosus videns Condiscipulis suis diligentioribus extraordinariam concedi veniam, eandem præterdit, & Professore præmium diligentioribus promittente, se illo privari querulatur. (A) Absolutis negligerter studiis Monasterium ingreditur, in quo Conservator Privilegiorum dici potest siquidem quicquid in proprio, vel ejusdem aut diversi Ordinis Cænobii aliquando permissum, concessum, aut scientibus, vel negligentibus, aut etiam in vitis Superioribus exercitum audivit, pro Privilegio habet, nixus Regulæ juris: favo-

res ampliandi, odia restringenda. (B) Ad Confessiones excipiendas applicatus studium. Omne in rimandis aliorum Ordinum Privilegiis collocat, parum curans, an revocata, an sub Communicatione cadant, an quadrent, &c. (C) Hinc ex Bulla Cruciatæ vel indulgentiarum, Sodalitatis de St. Trinitate sæpius extra Ordinem, etiam casus reservatos, confitetur. (D) Cum incestuosus Conjugibus dispensat. (E) Absolvit à casibus tam Episcopo, quam Summo Pontifici reservatis, sive sint occulti, sive publici. (F)

## R E S O L U T I O.

**M**alè sibi diligentiorum præmia delictosus polcit Onosimus, cum Privilegia singulorum communem legem omnino facere non possint. *Can. non exemplo. 4. caus. 26. q. 2.* debetur ergo præmium pigritiæ, quod est supplicium.

(B) Dato, quod Superiores certis de causis quædam contra communes disciplinæ Regulas permittant, illa statim in exemplum trahi non decet: quia temerarium est & indignum, aliquem

sibi sua autoritate præsumere, quod legitima potestas alicui certâ ratione inspectâ singularibus voluit beneficiis indulgere. *Cap. sanè. 9. de Privil.*

(C) Quamvis Onosimus in religioso Ordine, qui in omnibus aliorum Ordinum Privilegiis generalem habet Communicationem, sit constitutus, ut tamen eis in absolvendo, dispensando, &c. uti valeat à Superiore suo ad hoc, ut juxta Apostolica Privilegia ritè dispenset, aut absolvat, specialiter deputari

N 3 debet



debet; deinde an Privilegium revocatum, nec ne, an usum obrineat, an quadret, &c. providè est attendendum.

(D) Religiosi Sodalitatibus Privilegium cuicumque confitendi habentibus inscripti à non approbato per Prælatum suum absolvi nequeunt, juxta declarationem Papalem, cum contra Or-

dinem suum Privilegio uti non possint.

(E) Cum incestuosus Conjugibus dispensare possit, si specialem, ut dictum à Prælato habeat licentiam, vel ad hoc expositus fuerit.

(F) A casibus Episcopo reservatis eum absolvere non posse probat in hac materia facta propositionum damnatio.



## REGULA XXIX.

*Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*

**Q**uæres primo. Quot modis una res plures tangere potest?

ꝛ. Modis duobis. 1<sup>mo</sup>. Aliqua sunt, quæ pertinent ad plures ut universos, sive ut unum Collegium constituentes & in iis, quæ à majori parte Capituli fiunt, robur suum obrinent, alterâ etiam parte contradicente: dum enim principaliter agitur de rebus ipsum Capitulum concernentibus, major pars ipsum Capitulum repræsentat. *Cap. 1. de his, quæ sunt à maj. parti. ap. 2do.* Alia sunt, quæ ad plures ut singulos pertinent, cum principaliter de partium agitur interesse, & tunc *Regula* nostra locum habet.

Quæres secundo. Quis hujus Regule sensus?

ꝛ. Quod pertinet ad plures ut singulos, sive distributivè sumptos, ab omnibus approbari debet. Exempla

sunt 1<sup>mo</sup>. Quia electio novi Prælati ad omnes & singulos spectat, cum cuilibet intersit bonum habere Pastorem, omnes, qui debent, volunt & possunt commodè interesse Electioni, sunt convocandi. *Cap. quia propter. 42. de elect.* licet dum omnes congregati, is in quem major pars consensit, in Prælatum sit eligendus, cum ipse electionis actus non fiat, ut à singulis, sed ut ab universis totum Capitulum constituentibus.

2<sup>do</sup>. Si ad electionem extraneus admittatur, omnes, nullo excepto, in illius admissionem consentire debent; quia jus eligendi competit Capitularibus omnibus, ut singulis, & distributivè sumptis, ac proinde illo privari, vel votum per extranei admissionem, uno etiam invito, minus efficax fieri non potest.

Quæres



Quæres tertio. Quæ ab hujus Regulae explicatione faciendæ sũnt exceptiones?

Re. 1<sup>mo</sup>. Non tenet Regula in arbitris, dirimendarum litium favore: si enim in plures arbitros factum sit commissum, valet à majori arbitratorum parte lata sententia. 2<sup>do</sup>. Si jus patronatûs pluribus competat Patronis, præsentatio à majori parte facta valet, pro-

pter Ecclesiæ favorem, ne videlicet per longiorem moram & vacationem Ecclesia detrimentum patiatur. 3<sup>io</sup>. Si aliquid per plures, ut Collegium fiat, & sit merè gratiosum, omnes consentire oportet, veluti si dispensatio in statuto Collegii petatur, ut quis contra illius tenorem admitatur, unico dissentiente non est recipiendus.

## C A S U S.

**P**aradisus DEI non clausi Virginum Cænobii Moniales habet de receptione clausuræ dissidentes, plures urgente Superiore clausuram admittere sunt paratæ, cæteris contradicentibus, dubitat Superior, an eas adstringere possit, cum à tempore immemoriali clausuram non habuerint, & ideo dissimulans præcipit, ut singulis diebus post Completorium Lyranas de Ss. Nomine JESU in Choro recitent, in quod omnes, unica exceptâ, consentiunt, quæ potius in alio Monasterio hospitari petit. [A] Mortuâ Abbatisâ hanc extra hospitantem ad electionem non vocant, quæ tamen à majori parte Monialium electa, utpote clausuram

nunquam passura consentit, sed movetur difficultas ratione ætatis, numeri votorum &c. (B) Moniales igitur, reclamante licet electâ, ad novam procedunt electionem, & major pars consentit in Cajam. (C) Quæ in electione defunctæ Abbatisæ ob lapsum carnis rejecta fuerat. [D] Re ad Episcopum delata utraque electio rejicitur, daturque facultas novam coram Delegato Episcopali electionem instituendi, qui eas difficulter conventuras prospiciens suasit compromissum. (E) In quod reliquæ, duabus exceptis consentiunt, & major pars compromittit in Confessarium, qui eam nominat, quam coram Deo judicat esse probiorem. (F)

## R E S O L U T I O.

(A) **U**niversæ & singulæ Moniales, cujuscunque religionis sint vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes sub perpetua in suis Monasteriis debent permanere clausura.

Cap. periculoso. unic. de stat. regular. in 6. ideoque ubi clausura non est, eam Moniales professæ non obstante quâcunque præscriptione vel consuetudine, admittere coguntur, cum in iis, quæ



quæ de substantia religionis sunt, nulla currat præscriptio; quam autem clausura necessarium sit in fœminis servandæ castitatis remedium, ipsa docet sexûs fragilitas, & periculosa cum mundo familiaritas, quâ plures deceptas esse constat in illius, cui suam integritatem voluntate spontaneâ devoverunt, gravem offensam, religionis opprobrium, & scandalum plurimorum. Justissimè igitur Episcopus Clausuræ urget introductionem, memor tremendæ Sententiæ Trident. Sess. 25. de Regul. Cap. 5. quâ universis Episcopis ac Monialium Superioribus sub obtestatione Divini iudicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis, ordinariâ autoritate Clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent, inobedientes atque contradictores per censuras Ecclesiasticas aliasque pœnas, quâcunque appellatione postpositâ, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Sæcularis Episcopus Monialibus onus, ad quod vi statutorum aut Regulæ non obligantur, imponere quidem non potest, attamen in

necessitate publica autoritate ordinariâ rectè similes preces injungit, quam in onus perpetuum meritò ab omnibus sit consentiendum.

(B) Si in Monasterio non clauso erat, ad electionem vocari debebat, & contempta pro irritatione illius agere poterat. *Cap. quod sicut. 28. Cap. bona. 36. de elect.* Specialia sunt in electionibus monialium, ad quas, si in discordia celebratæ fuerint, duæ partes sufficiunt. In Abbatissam eligi non potest, nisi tricesimum annum compleverit. *Cap. indemnitatibus 43. de elect. in 6.*

(C) Ad novam electionem, nisi priorè a superiore cassata, procedere nequibant.

(D) Caja, si ejus propter lapsum carnis aliquando irritata fuit electio, ineligibilis existebat. *Cap. super eo. 12. de elect.*

(E) In Compromissum juxta Regulam omnes consentire oportebat.

(F) Postquam in Compromissarium omnes contulerant, sufficiebat, quod major pars in Confessarium consentiret. *Cap. causam. 8. de elect.* qui nominando notitia sacramentali uti non poterat.

## REGULA XXX.

*In obscuris minimum est sequendum.*

**Q** Uæres primo. Quid dicitur obscurum?

sz. Quod neque ex ipsius statuti aut

alterius dispositionis tenore, aut ex antecedentibus vel consequentibus verbis, neque ex eo, quod actum usque receptum



ptum, neque ex circumstantiis aliis verisimiliter colligi potest. Ex quo capite hæc regula subsidiaria nuncupatur; prius enim inspicitur, quod actum est, 2do quod verisimilius, 3tio quod fieri solet; si nullo ex his modis disponentis colligitur intentio, præfens *Regula* subintrat, locumque obtinet, tam in foro externo quam conscientia.

Quæres *secundò*, Quis hujus Regulae sensus?

2. Regula nostra desumpta est ex L. 9. ff. de reg. juris, & hunc sensum habet: Quando statuentis, aut aliter disponentis intentio ac voluntas, neque ex ipsius dispositionis tenore, neque ex verbis ei præmissis aut subiectis, neque ex eo, quod actum est, neque ex stylo aut consuetudine loci, neque ex aliis circumstantiis perspicue apparet, aut verisimiliter colligitur, tunc demum quod minimum est semper sequimur. Ratio est: quia jura ad liberandum magis, quam ad obligandum, ad minuendam quam augendam obligationem sunt proniora. L. *Adrianus*. 47. ff. de obligat. & action.

Exempla sunt 1mo in Cap. ex parte. 18. de censib. Duæ erant mensuræ ejusdem nominis, sed non æquales, una major, altera minor: aliquis voverat dare Ecclesie vel pauperibus hanc mensuram, & non expresserat, an majorem vel minorem, resolvit Pontifex ad minorem solvendam solum esse obligatum. 2do in L. nummis. 75. ff. de

Legat. erant certi nummi, qui vocabantur scuta, vetera erant majoris, nova valoris minoris; Titius Cajo legaverat scuta decem, nec, an nova vel vetera, expresserat: Respondetur hæredem solum ad decem scuta nova obligari.

Quæres *tertiò*. Quæ hujus Regulae limitatio?

2. Quamvis hæc Regula in quantitate procedat & numero, non tamen tenet, quando ex contractu species, aut speciei æquipollentia, ut artefacta, debentur; quia si talia in testamento vel alio contractu obscure sint expressa, non minimum, sed mediocre debetur: ut donatus fundus, sella, vas &c. nec optimum, nec minimum, sed mediocre præstandum est. L. si quis argentum. 35. C. de donation.

Exempla sunt 1mo in L. qui lancem. 31. ff. de auro & argen leg. Quidam tres habebat lancas inæqualis magnitudinis, legaverat unam, non exprimendo, qualem; resolvitur hæredem teneri ad lancem magnitudinis & estimationis mediæ. 2do in L. Titia. 38. §. 2. ff. eod. tit. testatrix hæredem oneraverat, ut in sui memoriam signum vel statuam in templo poneret, in quo similes statuæ aureæ, argenteæ, & æreæ reperiebantur: dubitabatur, qualem hæres ponere deberet, & resolutum est, quod ad argenteam, quæ erat media inter auream & æream, obligetur.



## C A S U S.

**Q**uirinus infirmus vult se ad Tumbam S. S. trium Regum cereuin duorum pondo oblatum, si restitueretur: Dubitatur, an ex cera virginea, cerâ communi longè catori, cereum dare teneatur. (A) Ex fundatione singulis annis in Theophoria P. P. Capucinis portionem dare obligatur, in quo sentit difficultatem, eò quod multum in numero creverint, cum tempore foundationis tres solùm Patres, & sex laici fuerint. (B) In testamento patruini vini mosellani dolium legatum fuit: cum hærede super duobus litigat: 1mo super mensura, quia in Mosella vini dolium septem amas continet, & hæres tantum quinque iuxta mensuram Coloniensem præstare intendit. 2do super qualitate, cum hæres

mosellanum ex mosella inferiori dare velit: Quirinus autem præten- dit ex mosella Superiori, quia patruus vinum ex Mosella inferiori nunquam habuit. (C) In pago A avenæ centum maldera Coloniam avehenda emit: Quirinus, cum nihil sit expressum, marcoduranam, quâ in dicto pago utuntur, vult habere mensuram; Rustici, cum avena Coloniam sit avehenda, Coloniensem tantum mensuram deb-ri præten- dunt. (D) Cum rusticis transegit, ut pro maldero solveret imperialem; difficultas est, an summa transacta per 78. albos sit solvenda (E) Demum Titio mediatori promisit dare pileum suum, si res amicè componeretur: du- bitat, an, cum tres habeat pileos, optimum dare obligetur. (F)

## R E S O L U T I O.

(A) Satisfacit voto, si ex communi cera offerat cereum. Simile est in Cap. ex parte. 14. de censib. Ubi, qui mensuram frumenti S. Jacobo dare voverant, dum alii in majori, alii in minori mensura votum solverent, dicitur, quod voverentes satisfaciant, si in mensura solvant minori.

(B) Quantumvis numerus sit adau- ctus, portionem tamen dare obliga- tur. Arg. cap. quantò. 16. de censib.

(C) Hæres mensuram dolii in loco, ubi legatum est, usitatam præstare te- netur. L. semper. 34. ff. de Reg. Jur. Quantum ad qualitatem, vinum mo- sellanum mediocre, sive illud in Su-

periori, sive inferiori mosella creverit, solvendum est. Arg. L. si quis argen- tum. 35. §. si verò. C. donat.

(D) Si à rusticis Coloniae avena tra- denda, ibique mensuranda erat, Co- loniensis sufficiebat mensura: tecus si in pago, in quo coempta, tradenda erat.

(E) Pecunia transacta per 78. albos solvenda est. Arg. L. nummis. 75. ff. de Legat.

(F) Si tres habeat pileos, medium da- re debet. Arg. L. qui lancem. 31. ff. de auro & argent. legat. alias per hanc Re- gulam sufficit dare viliozem.

R E.



# REGULA XXXI.

*Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regulae sensus ?

ꝛ. Qui de re vel negotio aliquo scientiam vel indubitam habet notitiam, aut saltem habere deberet, illum per denuntiationem vel insinuationem certiozem reddere necesse non est. Ratio est : quia frustra denuntiatio vel insinuatio exigitur, ut rei jam plenè cognitæ notitia habeatur.

Quæres secundò. Quæ hujus Regulae exempla ?

ꝛ. Sequentia : 1mò. in *Cap. si duobus. 7. de appellat.* hic proponitur casus: Latâ sententiâ uterque litigantium appellaverat, unus ad Archi-Episcopum, alter ad Papam ; appellans ad Papam de interposita appellatione partem adversam non certioraverat ; quia tamen Archi-Episcopus cum parte adverla de appellatione sciebat omnia acta post appellationis notitiam attentata esse declarantur. 2do. in *L. 1. de action. empt.* dicitur ; Si quis vendat rem servitute obligatam, & emptor hoc sciat, licet in emptione venditor emptorem non certioraverit de onere servitutis emptori tamen utpote scienti actio quanti minoris denegatur.

Quæres tertio. Quæ ab hac Regula exceptio ?

ꝛ. Si certioratio sive denuntiatio

non præcisè ad rei notitiam, sed ex juris dispositione ad formam vel actûs valorem requiratur, etsi de re aliunde constet, nova fieri debet denuntiatio.

Quæres quarto. Quæ hujus exceptionis exempla ?

ꝛ. Sequentia : 1mò vacante Ecclesiâ quidam Capitularium absens vacationem & diem electionis aliunde cognovit, qui nihilominus ad electionem vocandus est, ne contemptus pro electionis instet rescissione. *Cap. quod sicut. 28. de elect. 2do.* Clericus plura committit, propter quæ clericali privandus est privilegio, quo tamen ut privetur, prius moneri debet. *Cap. contingit 45. de Sent. excom. Clem. unic. de vita & honest. Cleric. 3tio.* Excommunicationem trina monitio præcedere debet, quamvis excommunicandus excommunicationis aliunde novit comminationem. *Cap. sacro. 48. de Sent. excomm. 4to.* Clericus concubinarius fructibus aut beneficio nisi præmissis canonicis monitionibus non spoliatur. *Trid. Sess. 25. de reform. cap. 14. 5to.* Venditor emptori ad evictionem non tenetur, nisi fuerit ab eo laudatus, ut loquuntur Juristæ, hoc est, de lite admonitus. *L. emptor. 8. C. de eviction. 6to* demum testamentum ex defectu testium est invalidum, si testes fuerint



quidem præsentis, non tamen ad hoc specialiter vocati & requisiti. L. hæres. 21. §. in testamentis. ff. qui testam. facere poss.

## C A S U S.

**R**omualdus Canonicus Metropolitanus Trevirensis per plures annos Coloniam tanquam Sæcularis absque habitu & tonsura cum persona quadam velut uxore habitavit, ita, ut civis Coloniensis putaretur. Electoris Trevirensis morte & electionis die divulgatam Coloniam mansit, usque dum novus Elector promulgatus: & ut donatorum particeps efficeretur, postmodum electioni, eò quod contemptus fuisset, se se opposuit. (A) Capitulares Trevirenses objiciunt 1mo, quod ipsi mors & dies electionis sufficienter nota fuissent, 2do, quod ad electionem vocari non debuerit, cum non esset Canonicus, tum quod habitum & tonsuram à tot annis non portaverit. (B) Tum quod esset in matrimonio, ut est fama, & aliter à Coloniensibus nunquam habitus, (C) Tum quia ad minus concubinarius est (D) & dato, quod adhuc Canonicus esset, nihilominus vocari non debuisset, quia excommunicatus erat tum à Jure, tum ab homine, cum singulis annis, qui ad minus per bimestre residere nolunt, ab Archi-Episcopo Trevirensi excommunicentur: (E) Et ex hoc Nuntius Apostolicus Capitulum & electum ab imperitione Romualdi absolvit, electumque confirmavit, non obstante, quod Romualdus, ut dicebatur, appellaverit, & actu Romam ad prote-

quendam appellationem contenderit. (F)

(A) Si Romualdus Canonicatu privatus non erat, nec notoriè excommunicatus, sed in Sacris constitutus, quamvis mortem Electoris & diem sciret electionis, citari tamen debebat. *Cap. quod sicut. 28. de elect.* citatio enim non tantum fit ideo, ut dies electionis citandis innotescat, sed etiam ut canonicè ad electionem convocentur, & ex hoc capite *Regula* præsens non tenet.

(B) Per depositionem habitus & tonsuræ non ipso facto Canonicatu privatus est, *Cap. contingit. 45. de Sent. excom. Clement. 1. de vit. & honest. Cleric.*

(C) Si de facto matrimonium contraxit, sive in Sacris sit constitutus, sive non, juxta probabilem Sententiam canonicatu privatus existit, cum eidem ipso facto renuntiasse censetur: quantumvis alii distinguant, quod constitutus in minoribus ipso facto privatus sit, si uxorem duxerit, *Cap. quod à te. 3. Cap. diversis. 5. de Cleric. conjug.* in majoribus constitutus matrimonium contrahens, licet excommunicationem incurrat, *Clem. unic. de consang. & affin.* beneficium tamen ipso facto non amittat.

(D) Concubinatus lutum ipso facto Clericum non privat beneficio. *Trident. Sess. 25. de reform. cap. 14.*

(E) Ex-



(E) Excommunicatio à Jure uti & ab homine per mandatum generale lata trinam monitionem non requirit, sicut illa, quæ contra particularem ab homine pronuntiatur: *cap. sacro. 48. eir.* & ex hoc capite *Romualdus* ad electionem non erat vocandus. Præterea propter matrimonium contractum, de quo fama, usque dum non contractum probaret, irregularis, ideoque voce activâ & passiva privatus reputari debebat. *Arg. cap. is qui. de sent. excom.*

Quamquam alii hujus Capituli textum solum de irregularitate contracta ex hoc, quod quis in loco pænæ interdicti supposito celebraverit, quia specialiter odiosa est, intelligere velint.

(F) Nisi *Romualdus* frivole appellasset, Nuntius Apostolicus appellatio- ni, si eam factam esse scivisset, deferre debuisset, quantumvis eidem debite insinuata non fuisset *arg. cap. si duo- bus. 7. de appellat.*



## REGULA XXXII.

*Non licet Aëtori, quod reo licitum non existit.*

Q Uæres Quis hujus Regulæ sen- sus?

R. Nihil in Judicio ad intentionem suam promovendam permissum est aëtori, quod non etiam reo ad exceptionem suam fundandam sit permis- sum. Ratio est: quia favorabiles rei, quam aëtoris sunt partes. *Reg. 125.*

*ff. de Reg. Jur. Exemplum habes in cap. prudentiam 2. de mut. petit. ubi quia aëtor impetraverat literas derogationis contra reum cum clausulâ: appellatione remotâ, & ideo etiam reo coram eodem Judice delegato reconvenire conceditur appellatione remotâ.*



## REGULA XXXIII.

*Mutare quis Consilium non potest in alterius detrimentum.*

Q Uæres. Quis hujus Regulæ sen- sus?

R. Ille explicatus est in *Regula vi- gesima prima: Quod semel placuit, am- plus*



plius displicere non potest. Pro majori tamen dilucidatione exempla deterviant sequentia.

*Primum.* Publicato Scrutinio Electores ab electo recedere non possunt, quamvis electo ante consensum in electionem Jus plenum ad rem non sit quæsitum. *cap. publicato. 58. de elect.*

*Secundum.* Postquam Patrono Episcopo vel ordinario Clericum ad vacans præsentavit beneficium, consensum suum revocare nequit Patronus etenim si patronus sit Ecclesiasticus, id est, cui vi beneficii, aut dignitatis Ecclesiasticæ competit præsentatio, alterum præsentare non potest, eò quod officio suo jam functus sit; si Patronus sit laicus, ad quem nimitum ex titulo sæculari spectat præsentatio, variare quidem potest, etiam secundum præsentando, priorem tamen

præsentatum, si ab Ordinario vel indignus non rejiciatur, excludere nequit, sed est officium Ordinarii ex duobus vel pluribus à Patrono laico simul vel successivè præsentatis intra quadrimestre eligere digniorem. *cap. cum autem 24. de Jure Patron.*

*Tertium.* Quamvis postulatio, sive Ecclesiæ vel Collegii vacantis petitio, ut quis Canonico impedimento dispensabili laborans ad vacantem Prælaturam admittatur, nullum tribuat Jus postulato; postquam tamen postulatio superiori præsentata, postulantes ex hac Regula à postulatione recedere non possunt. Idem est de beneficiato, qui renuntiationem suam, ut consensum obtineat, superiori Ecclesiastico præsentavit, ab illa amplius recedere nequit, ne superiori illudere videatur.

## C A S U S.

### Ad utramque Regulam.

VAcante per mortem MAXIMILIANI HENRICI Archi-Episcopi & ELECTORIS Coloniensis Ecclesiâ Metropolitanâ Coloniensî, constituta Electionis die ad eandem viginti Canonici Metropolitanî convenerunt. *Primò* quæsitum est, an electioni locus esset, eò quod vivente Electore omnium votis in Coadjutorem cum futura successione Cardinalis de de Furstenberg sit electus? cui opponeretur quod præfata electio à Summo Pontifice confirmata non fuisset. (A)

*2do.* Quærebatur, quæ personæ forent eligibiles? & responsum est, Cardinalem non esse eligibilem, cum Cardinalis esset. (B) Et Episcopus Argentinensis, nec Brevi eligibilitatis provisorius. (C) Josephum autem BAVARUM per breve eligibilitatis capacem esse; cui objiciebatur, illud omninò obreptitium, partiale, & contra libertatem Nationis Germanicæ esse extrædicatum; & quomodo Papa puerum nondum Capitularem, nullam scientiam & notitiam habentem, de quo non scite-



sciretur, an clericandi, vel in Clero permanendi animum haberet, ad tantum Archi-Episcopi onus capacem facere posset. (D) His præviis ad Scrutatorum processerunt Electionem, duosque Presbyteros & unum Comitem partis Furstenbergicæ elegerunt, qui postquam se scrutati essent, omnes de Capitulo singulatim audierunt, & publicato Scrutinio, quod tredecim postulassent, collatis votis Comes primus Scrutatorum communem fecit postulationem, inquit: *Ego postulo in Archi-Episcopum Colonensem Cardinalem.* Contra quam postulationem cum alii septem protestati essent, unus illorum dixit: *Ego nomine meo & mihi consentientium in Archi-Episcopum eligo Josephum Bavarum.* (E) Cardinalis postulationem acceptavit, contra quam opponebatur 1<sup>mo</sup>, quod à duabus Ca-

pituli partibus facta non esset. (F) 2<sup>do</sup>. Quod nequidem esset à majori parte, cum duo ex postulantibus, quod sub Gallicis signis militarent, irregulares existerent. (G) Et unus Presbyter à postulantibus ad eligentes transivisset. (H) Electioni opponebatur, quod non esset facta ab uno Scrutatorum, nec à majori parte Capituli. (I) Re ad Summum Pontificem delatâ, Nuntio Apostolico cum clausulâ: *appellatione remotâ*, est demandata commissio, (K) à quo iterum est advocata, & Papa Innocent. XI. non obstante Gallorum oppositione postulationem duxit rejiciendam, & supplens omnes defectus Josephi Bavari confirmavit electionem, (L) à qua sententia Cardinalis ad futurum Concilium appellavit. (M)

## RESOLUTIO.

(A) Coadjutoria cum futura successione prohibita sunt, & à solo Summo Pontifice dari possunt. *Trid. sess. 25. de reform. cap. 7.* Ex quo patet, quod Cardinalis Coadjutoria sine Papæ confirmatione non subsisteret.

(B) Ex hoc quod Cardinalis esset, postulandus erat, quamvis minus solemniter. *cap. bona. 3. de postulat.*

(C) Quia Episcopus, cum solemniter postulari oportebat. *cap. fin. de postulat.*

(D) Omnia illa non præstabant impedimentum, cum Brevi eligibilitatis munitus esset, & pro Superiore stabat

præsumptio, quod illud pensatis quibuscumque circumstantiis digno largitus esset.

(E) Dum Scrutatores electionem Bavari per commune Decretum promulgare nollent, promulgationem unus ex Electoribus facere poterat.

(F) Quia hic Electio cum postulatione concurrebat, ut postulatio electioni præferenda esset, postulatus duas tertias habere debebat. *cap. scriptum est. 40. de elect.*

(G) Clericus militans ex hoc ipso irregularis non est, sed solum si quempiam in pralio occiderit. *cap. petitio.*



24. de homicid. & dato, quod irregulares essent, juxta sententiam tamen probabilem voce activâ eo ipso privati non erant: cum multi *cap. is quis. 18. de Sent. & com. in 6. de speciali Casu*, quo quis ob violatum interdictum irregularis est, intelligendum esse contendunt.

(H) Antequam superiori præsentata postulatio, ab ea recedere possunt postulant. *cap. bona. 4. de postulat.* non obstante *Regula 33tia*, nullum enim per postulationem jus acquiritur postulato.

(I) Sufficiebat, quod pro electo ultra tertiam essent partem. *cit. cap. scriptum.*

(K) Quando datur commissio cum clausula: *appellatione remota*, ad actoris petitionem, eadem reus in sui fa-

vorem uti quoque potest, per *Regulam 32dam.*

(L) Summus Pontifex nec postulationem, nec electionem admittere obligatur; non postulationem: tum quia non erat concorditer facta, tum quia quando aliquis ab aliis unanimiter postulatur, Pontifex ad admittendam postulationem eorum non tam ex Justitia, quam gratiâ movetur, *cap. bona. 3. de postulat.* nec electionem: quæ à majori Capituli parte celebrata non erat.

(M) Appellatio ad futurum Concilium est à Superiore ad inferiorem provocatio, ideoque nulla, in Bulla Cœnæ sub gravibus pœnis prohibita, & hæreticæ pravitati affinis esse dignoscitur,

## REGULA XXXIV.

*Generi per speciem derogatur.*

**Q**uæres primo. Quid nomine generis ac speciei intelligitur?

ꝛ. Nomina: species & genus pauld aliter Juristæ explicant, quàm Dialectici: Genus juxta Juristarum sensum est omne id, quod plura sub se continet, ut bos, equus, vestis, triticum, quæ juxta Dialecticos species secundum Juristas est quodlibet individuum & singulare, & pluribus sub eodem ge-

nere comprehensis, ut vestis illa carulea, triticum in hoc granario existens, equus ille hungarus. Pro exemplo sit: In contractu commodati commodatarius commodanti eandem speciem, hoc est, illud individuum, quod commodans commodanti ad usum concessit, reddere debet. In Contractu mutui non eadem species, sed idem genus mutuanti à mutuatario est restituendum,



dum, ut mutans tempore sementistriticum tempore mesfis non idem in individuo triticum, quod mutuavit, sed simile triticum recipit.

Quæres secundo. Quis hujus Regulæ tenfus ?

1. Quando sunt duæ dispositiones sibi contrariæ, ea, quæ specialis est, derogat generali, quoad id, in quo eadem est contraria. Ratio est: quia genus communem repræsentat regulam, & species est veluti opposita regulæ exceptio: Sicut ergo exceptio derogat regulæ, & non regula exceptioni, ita speciale derogat generi, & non generale speciei.

Quæres tertio. Quæ hujus Regulæ exempla ?

1. *1um* est in legibus & statutis, si nempe lege generali aliquid sit inhibitum, & speciali constitutione idem quibusdam permittatur, species derogat generi, & speciale posterius limitat generale antè. *Cap. 1. de constitut. in 6.* Item tempore obsidionis Magistratus generale fert statutum, ut cives omnes in mœnibus ad propugnandum sint præsentès: fert speciale, ut Senatores in Curia adsint: species derogat generi.

2. *2um* in consuetudinibus: Consuetudo specialis alicujus loci particularis aliorum locorum generali derogat consuetudini *Cap. fin. de consuetud.* ut; ex consuetudine generali in tota Ecclesia omnibus diebus Sabbathinis à carnibus est abstinentia: ex consuetudine particulari Belgæ diebus Sabbathinis inter

*R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.*

Nativitatem Domini & Purificationem carnibus vescuntur.

3. *3um* in rescriptis: ut exprimitur in *Cap. studuisti. 2. de offic. Legat.* quamvis Legatus à latere generalem in sua Provincia habeat Jurisdictionem; Si tamen ex rescripto suæ Legationis à Sede Apostolica specialis causa certo Commissario committitur: species derogat generi, & Legatus huic causæ se interimmittere non potest.

4. *4um* in privilegiis. Quidam per totam Parochiam decimas percipiendi generale obtinet privilegium: datur alteri privilegium decimas ex certo fundo non solvendi: speciale derogat generali.

5. *5um* in Legatis. Colligitur ex *L. 1. ff. de auro argent. & L. qui penum. 3. ff. de penu legat.* ut; Titius Paulo cellam suam vinariam vel penum, Petro autem vas vini mosellani sub *N. 1.* ex cella legavit: species derogat generi, & Paulo omnia cellæ vina debentur, excepto plastro, quod Petro est legatum. Item Caja Titix omnes vestes suas, Sempronio autem suam vestem nuptialem legavit: species derogat generi: Sempronio vestis nuptialis, quæ est species, Titix verò reliquæ vestes debentur, quæ sub genere vestis continentur.

Quæres quarto. Quæ sunt exceptiones?

1. *1a.* Sequentes. *1ma.* Species non derogat generi, quando alteri per genus jam Jus est acquisitum. Exemplum est: Titius debitor Cajo creditori prosecu-

P

ritate



ritate debiti in hypothecam omnia sua bona dedit, at postmodum ulterius indigens secundo creditori Sempronio pro hypotheca speciali aliquod certum prædium constituit: hic species non derogat generi, sed primus creditor & hypothecarius generalis hypothecario speciali præferendus est, per *L. qui generaliter. 2. ff. qui potior in pignor.* & *L. si generaliter. 6. Cod. eod. tit.* Simile exemplum subministrat Jus canonicum in *Cap. ex tua. 9. de filiis Presby.* ubi quidam Episcopus generalem obtinuerat facultatem, dispensandi cum filiis in Ecclesiis, in quibus parentes eorum beneficia obtinuerant; postmodum aliquis Apostolicum impetravit rescriptum, ut sibi de beneficio, quod tales filii adepti fuissent, provideretur; in quo dubio respondit Pontifex: Si Episcopus generali suo privilegio jam usus esset, & cum Clerico quopiam ante specialis rescripti usum dispensasset,

quod speciale non deroget generali, cum per generale Jus nunc sit acquisitum.

*2da exceptio.* Regula præfens non tenet, si rescriptum generale in specie sit purificandum. Exemplum habemus in *Cap. ex parte. 12. de offic. deleg.* ubi hic est casus: In quadam Ecclesia plures erant Archi-Diaconatus, Titius Apostolicum mandatum impetraverat, ut ipsi de proximo vacaturo Archi-Diaconatu in dicta Ecclesia provideretur. Postea Cajus speciale obtinuerat mandatum, ut si Archi-Diaconus A in Ecclesia resignaret, Cajo resignatus Archi-Diaconatus conferretur. Dubio ad Pontificem relato, hic respondit, Titio & non Cajo de resignato Archi-Diaconatu providendum; quamvis enim ille generale tantum haberet mandatum, illud tamen non nisi in speciali Archi-Diaconatu proximè vacaturo purificatur.



## REGULA XXXV.

*Plus semper in se continet, quod est minus.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regulæ sensus?

*æ.* Quantitas major in se semper quantitatem minorè continet. Ratio est: quia quantitas major secundum Juristas est numerus major, cujus pars est numerus minor: partem autem in toto contineri non ambigitur.

Quæres secundo. Quæ hujus Regulæ exempla?

*æ.* Sequentia: *1mum* est in *Can. Si quis dederit. 41. caus. 24. q. 1.* ubi inter Judices dubitabatur, quænam pœnitentia reo injungenda, unus pœnitentiam quinque, alius septem, alius verò decem annorum subeundam putabat;



tabat, quibus intellectis resoluit Julius Papa injungendam esse quinque annorum, in quam omnes consenserunt, cum in septem & decem quinque contineantur.

*2<sup>da</sup>* est in L. *inter pares*. 38. ff. *de re judicat.* & *cap. 1. de arbitris*, in 6. Si tres sint arbitri, quorum unus reum condemnat in tria, alter in quatuor,

tertius in quinque, reus tantum tria solvere tenetur, eò quod in istam quantitatem omnes consenserint.

*3<sup>ti</sup>*um. Sunt duo testes, quorum unus de possessione triginta, alius de possessione viginti annorum testatur, per quæ duo testimonia possessio vicenaria plenè probata existit: quia in triginta viginti continentur.

## C A S U S.

### *Ad utramque Regulam.*

**S**ibido Ordinem Præmonstratensem ingressus ante professionem testamentum facit coram duobus testibus, ut unus testis affirmat, aut tribus, quem admodum Notarius testatur. (A) Totam suam Bibliothecam monasterio, corpus autem Juris Canonici Titio suo quondam legat amico. (B) Prælati ob teneriorem complexionem indulgit, ut vitalitium sibi censum reservaret, de quo an ex statutis liceat, postmodum dubitavit. (C) Professo ut quandam haberet diversionem, Abbas inspectionem certæ villæ commisit, super quæ cum Provifore sæpius habet difficultates; (D) utque hoc exoneraretur labore & tædio, à quodam cognato Sæcularem obtinuit Pastorum,

opponente se se Vicario Generali, eò quod Canonici Regulares Beneficiorum Sæcularium non amplius capaces existant. (E) In parochia à Nobili quodam decimas exegit intra fines parochiæ existentes, qui libertatem ex capite Nobilitatis, & quod proprium Sacellanum curam animarum exercentem haberet, prætendebat. (F) Cum ipsi grex ovium legatus esset, ab hærede quoque captas & agnellos petebat. (G) Demum ad extrema deductus plures Theologos super damni cujusdam, suâ culpâ accidentis, reparatione consulit, quorum aliqui totum, alii medietatem, alii tertiam partem restituendam esse responderunt. (H)

## R E S O L U T I O.

(A) **N**on obstante Concilii Trident. dispositione, quod nulla renuntiatio aut obligatio Novitii facta valeat absque forma *Sess. 25. de Regular. cap. 16.* præscripta, Novitius tamen testamentum condere potest, cum

P 2

juxta



juxta declarationem S. Congregationis *Cis. cap.* subjectam testamenta seu ultimæ voluntates præfato decreto non comprehendantur. Pro testamento Novitii ad pias causas facti duo testes sufficiunt, alias septem requiruntur. Plenè quoque per *Reg. 35.* probatum est.

(B) Et si monasterio totam legarit Bibliothecam, legatum tamen amico factum tenet, corpus videlicet Juris Canonici, per *Reg. 34.*

(C) Reditus annui quamvis salvo paupertatis voto permitti queant, si Religiosus eos suscipiens independentem à Superioris voluntate non habeat ipsorum dispositionem: illos tamen non tantùm Ordinis statuta, sed & Trid. prohibet *Sess. 25. de regular. cap. 2.* in-  
 „quiens: “ Nemini Regularium tam  
 „virorum quam mulierum liceat bona  
 „immobilia vel mobilia, cujuscunque  
 „qualitatis fuerint, etiam quovis mo-  
 „do acquisita tanquam propria, aut et-  
 „iam nomine conventus possidere vel  
 „tenere, sed statim ea Superiori tra-  
 „dantur conventuique incorporentur.

(D) Nec hoc Tridentinæ disposi-  
 „tioni *L. c.* conforme videtur. ibi: Nec  
 „liceat Superioribus bona stabilia ali-  
 „cui Regulari concedere, etiam ad u-  
 „sum fructum, vel usum, administra-  
 „tionem aut commendam: admini-  
 „stratio autem bonorum monasterio-  
 „rum seu conventuum ad solos Officia-  
 „les eorundem ad nutum Superioris  
 „amovibiles pertineat.

(E) Propter quotidianas Ordinatio-  
 rum contradictiones præfens punctum  
 proliziorum meritò requireret tracta-

tum, quem in aliud tempus & locum  
 rejicientes congruenter hujus operis  
 instituto brevitur dicitur, quod Ca-  
 nonicos Regulares de jure communi  
 beneficii Sæcularis etiam Curati capa-  
 ces esse apertè liqueat ex *Cap. quod DEI  
 timorem. 5. de Stat. Monach.* Deinde  
*Trident. Sess. 14. de reform. cap. 11.* di-  
 sertè statuit, Canonicum Regularem  
 ad alium Ordinem translatum beneficii  
 Sæcularis etiam curati incapacem exi-  
 stere; ergo non translacum, sed in ca-  
 nonico suo ordine perseverantem dicti  
 Beneficii capacem esse ab ipso Triden-  
 tino agnoscebatur. Decreto Greg. XIII.  
 quo noluit licere Canonicis Regulari-  
 bus absque permisso Summi Pontificis  
 assumere beneficium curatum etiam ad  
 tempus, Præmonstratenses justè oppo-  
 nere possunt, quod per generalem con-  
 stitutionem prohibivam specialibus  
 locorum & personarum privilegiis mi-  
 nimè derogetur. *Cap. 1. de constit. in 6.*  
 Subintrat quoque *Cap. porrò. 7. de Pri-  
 vileg.* ubi Pontifex prohibet judicari de  
 privilegio, nisi ejus tenore inspecto.  
 Privilegia ergo Præmonstratensium eo-  
 rumque statuta & consuetudines, cum  
 in facto consistent, Pontifex non tan-  
 tum inspicere, sed & probabiliter  
 ignorare potuit, consequenter de iis  
 non judicavit, multò minus generali  
 suo decreto comprehendit; maxime  
 cum constitutio Gregoriana contra Ca-  
 nonicos Lateranenses emanaverit. Si-  
 cut igitur privilegium uni concessum  
 ad alium non debet extendi propter ra-  
 tionis identitatem, *Cap. sanè. 9. de  
 Privileg.* sic quoque dicta declaratio  
 Juris



Juris communis correctiva ac pœnalis, quatenus novam inhabilitatem Canonicis Regularibus inducit, strictissimè est interpretanda, solum obstandi Canonicis Lateranensibus, ad Præmonstratenses haud extendenda. Exceptionem quidem istam non admittit *Pignatelli*, tom. 1. *consult.* 44. ubi quoscunque Canonicos Regulares, & Præmonstratenses in specie Parochiarum Sæcularium incapaces esse probare nititur, sed re penitus inspectâ *Pignatelli* Præmonstratensium institutum ignorasse, & fortius affectui, quàm rationi suggestisse videtur argumentum. Interim ex hoc suo Adversario notent Præmonstratenses ea, quæ *loc. cit. n. 2.* ita habet: Constitutio Gregor. XIII. inter Pontificias sanctiones non reperitur, & Gregorii voluntas per mortem exspiravit, dum non fuit redacta ad actum legis, quodque verè ita evenit, ostendunt decisio Rotalis post

Gregorium emanata, & decretum S. Congregationis Concilii sub anno 1602. in hæc verba: Congregatio Concilii censuit decretis ejusdem Concilii Canonicum Regularem non prohiberi obtinere Beneficia curata sæcularia, nisi fuerit ex his translatis, de quibus habetur in decreto *Cap. 11. Sess. 14.* Hæc confessio sufficit pro præsententi.

(F) Pastor fundatam habet omnes decimas in sua parochia percipiendi intentionem; idèoque Nobili, quod specialiter per Regulam: *Generi per speciem derogatur*, exemptus sit, probandum incumbit.

(G) In grege ovium agnelli, juxta *Reg. 35.*, non tamen capræ continentur, cum hæc sint diversæ ab ovibus speciei.

(H) Tertiam partem, in qua omnes consulti convenerunt, restituere obligatur.

## REGULA XXXVI.

*Pro possessore habetur, qui dolo desit possidere.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regulæ sensus?

**R.** Qui rem alienam justè vel injustè possidet, eamque ab alio vindicandam advertens, dolo malo in alterum transtulit, vel consumpsit aut destruxit, & ita possidere desit, nihilominus pro

possessore habetur, perinde ac si eandem adhuc possideret, non in sui commodum, sed incommodum. Ratio est: quia fraus & dolus nulli patrocinari debet, quod fieret, si is, qui rem alienam possidere malitiosè desit, commodum haberet, & ille, qui rem suam

P 3

ven-




vindicare tentat, maximum sustineret præjudicium; siquidem ab obligatione restituendi per dolosam rei alienæ destructionem vel translationem cum Domini damno & injuria factam liberari naturali repugnat æquitati.

Quæres secundo. Quis hujus Regulae effectus?

ꝛ. Ex hac regula is, qui rei alienæ possessionem dolo amisit, rei vindicatione convenitur, non quidem velut verus possessor actione directè, ut rem

alienam restituat, sed actione utili, quâ petitur, ut rem ab alio, ad quem pervenit, recuperet, Dominoque restituat, vel si hoc nequeat, ad rei condemnationem æstimationem, quam actor edicere debet Juramento, quod Juramentum vocatur affectionis. Quod si Dominus immodicam faciat rei æstimationem, Judicis est, taxatione suâ æstimationem moderari, & ad æquitatem reducere.



## REGULA XXXVII.

*Utile non debet per inutile vitiari.*

Quæres primo. Quis hujus Regulae sensus?

ꝛ. Illud, quod in se utile, hoc est, validum est, vim & valorem suum non amittit ex hoc, quod aliquid inutile sive jure invalidum accedat, vel addatur. Ratio est: Quia actus taliter est interpretandus, ut potius valeat, quam non valeat. *Cap. Abbate. 25. de P. S.*

Quæres secundo. Quæ Regulae exempla.

ꝛ. *Sequentia. 1. num.* Electio à majori parte Capitularium in unam personam consentientium celebrata valida est, quamvis quorundam excommunicatorum contra cæterorum protestationem electioni sese immiscentium vota fuerint invalida. *Cap. constituentis, 23. de*

*appellat. 2. dum.* Electio canonica contra canones invalidè & illegaliter confirmata valorem suum per inutilem non amittit confirmationem. *Cap. si confirmationem. 39. de elect. in 6. 3. num.* Concessio indulgentiæ ab Episcopo facta valida est ad tempus anni à Jure permissum, & invalida quoad excessum. *Cap. fin. de pœnit. & remiss. in 6. 4. num.* In manumissione servi Ecclesiæ cum ejusdem Ecclesiæ bonorum donatione manumissio valida, ast donatio adjuncta est invalida. *Can. si quos. 57. caus. 12. q. 2. 5. num.* Donatio inter vivos summam quingentorum aureorum excedens absque insinuatione apud Judicem facta quoad summam intra legis terminos constitutam valida est, quo-  
ad



ad excessum invalida. *L. sancimus. 34. C. de donation.*

Quæres tertio. Quæ Regulæ exceptionis?

R. Regula non tenet in actibus individuis, hoc est talibus, qui vel ex naturæ rei, eò quod partibus non consent, vel propter formam aut dependentiam unius ab alio, vel ex juris dispositione aut agentium voluntate exigunt, ut unum sine altero non subsistat.

Quæres quarto. Quæ exceptionis exempla?

R. Sequentia, 1mo. Episcopi vel alterius Prælati Ecclesiastici à Clericis cum Laicis celebrata electio nulla est, etsi Clericorum major pars in electum consenserit. Est expressus Textus in *cap. Messana. § 6. de elect.* 2do Compromissum factum in duos, quorum unus arbiter esse nequit, non subsistit.

*L. Pedius. 7. ff. de recepti. arbitr. 320.* Si causa duobus delegata, quorum unus velut suspectus recusatur, admittà reculatione alter delegatus procedere non potest. *Cap. cum super. 23. de offie. deleg. 410.* Sententia Judicis de summa, quæ eius jurisdictionem excedit, etiam quoad summam non excedentem, est invalida. *L. in hoc iudicio 27. ff. famil. exerciscund.*

5to. Donatio bonorum omnium præsentium & futurorum tota est invalida, licet donatio bonorum solùm præsentium valida fuisset.

6to. Literæ Apostolicæ, si in aliqua parte vitium contineant, aut stylo Curia discordent, omninò sunt invalidæ. *Cap. ad audientiam. 11. de rescript. 7mo.* Testimonium testis, quod in parte reperitur falsum, nihil probat, quod de Notarii instrumento pariformiter dicendum.

## C A S U S.

### *Ad utramque Regulam.*

**T**anneredus Germanus sub signis Gallicis militans patræ suæ plurima damna causavit: pœnitens omnibus tuis inter commilitones distributis, Monasterium est ingressus. (A) Cui Conventuales primùm sese opposuerunt, postmodum contentientes. [B] In professione majorem sensit difficultatem, Conventualibus universis etiam Laicis & conversis assentientibus, solo Abbate contradicente. (C) Quare di-

missus statum clericalem est amplexus, & Canonicatum ex favore Decani per munuscula famulo data requisiti obtinuit. (D) Canonicus factus, Decano mortuo, urgente & minitante Principe territoriâli in Decanum à majore, sed non saniore Capituli parte, pluribus voto privatis concurrentibus est electus. (E) Ideo Episcopus confirmationem denegavit, quam tamen quibusdam amicis familiam Episcopi corruptentibus



bus, est adeptus. (F) In Decanatu certa causa Ecclesiastica *Tanneredo* & præposito à Nuntio Apostolico fuit delegata, in qua cum recularetur Præpositus, solus usque ad definitivam processit sententiam. (G) Reum in causa prin-

cipali, & actorem in expensas condemnando. (H) Moriens in Testamento cognatis omnia reliquit, quod Testamentum, quia Ecclesia in eo præterita erat, à Capitularibus impugnatur. (I)

## RESOLUTIO.

(A) **M**onasterium ingredi non poterat, antequam malè parta suis dominis, si sciri poterant, restitisset, vel ad causas pias applicasset, à qua obligatione per rerum suarum inter commilitones distributionem non liberatur juxta *Reg. 36.*

(B) Oppositio Conventualium secundum statuta Ordinis Præm. in admissione Novitii inutilis est; ideoque Prælati non vitiat admissionem, per *Reg. 37.*

(C) Ad professionem admittere debet Prælati cum consensu majoris partis Capituli, si vel Prælati, vel majoris partis Capituli deficiat consensus, professio nulla est, cum hæc ad formam requirantur. Consensus etiam totius Capituli per dissensum Prælati vitatur.

(D) Canonicatus Simoniacè est obrentus, quia temporale ad eum aditum fecit.

(E) In electione ad Decanatum plura sunt ponderanda: imò electus est per abusum sæcularis potestatis, de qua electione sic statuitur in *cap. quisquis 34. de elect.* „ Quisquis electioni de se „ factæ per sæcularis potestatis abusum „ consentire præsumperit, contra Canonicam libertatem, & electionis

„ commodo careat, & ineligibilis fiat „ nec absque dispensatione ad aliquam „ valeat eligi dignitatem. Qui verò „ electionem hujusmodi, quam ipso „ jure irritam esse censemus, præsumperint celebrare, ab officiis & beneficiis penitus suspendantur per triennium, eligendi tunc potestate privati.

2dò. Electus est à majore, non tamen saniore Capituli parte, quod tamen in *cap. quia propter. 42. de elect.* requiritur. Quamquam omnis rigor dicti *cap. quia propter* in Prælatorum inferiorum electionibus non sit omninò servandus.

3tò. In electione plures voce activâ & passivâ privati concurrebant, qui si à Capitulo admitti poterant, electioni secundum se non officiebant: aliàs si admitti nequibant, suisque votis majorem partem constituiebant, electionem ex hoc quoque capite invalidam esse non dubitamus.

(F) Quamvis electionem aliàs canonicè celebratam & validam invalida non vitiet confirmatio. *cap. si confirmationem. 39. de elect. in 6.* attamen si Simoniaca electionem vitiat, nisi electus contra protestatus fuerit. *cap. sicut. 33. de Simon.*

(G)



(G) Uno ex delegatis recusato, aliter procedere non potest. *cap. cum super. 23. de offic. deleg.*

(H) Actor, nisi inutilium expensarum causa fuisset, reo in causa principali condemnato, in expensas condemnari non poterat; aliàs sententia ex una parte iusta & ex altera iniusta

esse potest; ita quandoque utraque pars litigans appellat, & in quantum pro, agit gratias pro benè administrata Iustitia, & in quantum contra, appellat.

(I) Intuitu Ecclesiæ acquisita eidem sunt relinquenda; ex hoc tamen totum Testamentum impugnari nequit, cum utile per inutile non vitiatur.

## REGULA XXXVIII.

*Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.*

**Q**uæres primo. Quis hujus Regulae sentus?

**R.** Qui legem, rescriptum, instrumentum, testamentum, aliamvè dispositionem in Iudicio impugnat, ex eo, quod impugnavit, commodum habere non debet. Ratio est; quia cum illud impugnans velut inutile, invalidum & iniustum reprobavit, Juri suo, quod ex eo sibi competit, renuntiasse censetur. *Cap. cum olim. 19. de censib.*

Quæres secundo. Quæ Regulae exempla?


**R.** Sequentia. **1mo.** Qui constitutionem Apostolicam authenticam esse negavit, eam pro se fructuose allegare non potest. **2do.** Qui instrumentum velut falsum impugnavit, eo pro se uti non permittitur. *Cir. cap. cum olim. 3110.* Qui testamentum velut inofficio-

sum aut invalidum rejecit, ex illo nihil consequitur. *L. Papinianus. 8. §. meminisse. ff. de inofficios. testam.*

Quæres tertio. Quæ Regulae limitationes?

**R.** Sequentes. **1mo.** Ut Regula locum habeat, usque ad ipsam Sententiam Judicialis debet præcessisse impugnatio. **2do.** Debet facta fuisse proprio nomine. Sic Tutor, qui pupilli nomine testamentum impugnavit, legatum ex eo relictum capere potest. *L. adversus. 30. ff. de inofficios. testam. 3110.* Quamvis is, qui dispositionem aliquam impugnavit, illà contra eundem uti non valeat, attamen contra cæteros eam rectè producit, cum inter aliquos acta aliis præjudicium non generent. *Cap. quamvis. 25. de Sentent. & re judicat.*





## R E G U L A   X X X I X .

*Cum quid prohibetur , prohibentur omnia qua sequuntur ex illo.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regulae sensus ?

R. Quando aliquid jure prohibitum, omnia illa, quæ ex eo ordinariè & per se propter quandam connexionem sequuntur, prohibita esse censentur, si eadem prohibendi ratio contra illa militare videatur. Ratio est: quia accessorium sequitur principale, quæ autem ex prohibito procedunt, illi connexa & accessoria esse dignoscuntur.

Quæres secundò. Quæ Regulae exempla ?

R. Sequentia. *1<sup>um</sup>* est in *Can. denique 6. dist. 4.* Prohibito in 40ma

carnum esu, prohibita intelliguntur omnia, quæ sementinam carnis trahunt originem, videlicet lac, caseus, & ova, à quibus abstinetur in locis, in quibus adhuc viget primævi rigor jejunii.

*2<sup>dum</sup>* est in *Can. eos etiam. 18. dist. 81.* in pœnam sui delicti suspensus ab officio, per consequens etiam est suspensus à beneficio, cum beneficium detur propter officium.

*3<sup>tium</sup>* est in *Cap. pastoralis. § 3. §. verum. in fin. de appellat.* Cui Ecclesie communio denegatur, illi proventus ecclesiastici meritò subtrahuntur.

### C A S U S .

*Ad utramque Regulam.*

**U**Baldus Canonice Tutor nepotis ex fratre ejusdem fratris testamentum, in quo filius in legitimam, *Ubal- dus* in tertiam partem, & soror in reliqua omnia bona im- & mobilia hæres instituta, acriter impugnavit, (A) Sed quia ab altera parte Judex stare videbatur, cum *Sorore*, magis in pro-

prium, quàm pupilli favorem, tran- legit. (B) Pupillus major factus resti- tutionem in integrum petiit, & obti- nuit, (C) ac *Ubaldu*m coram eodem Judice convenit. (D) Coram quo cum *Ubaldu*s declinatoriam fori exceptio- nem non obmoveret, lis est contesta- ta, & ea propter *Episcopus Ubaldu*s

ab



ab officio suspendit. (E) Quo non obstante cum fructus beneficii adhuc perciperet, excommunicatus est; (F) cumque in excommunicatione infortesce-  
ret, omnibus stipendiis & obventionibus privatus institit pro alimentis. (G) His quoque denegatis sese submittere, liti coram Laico cœptæ renuntiare, & sub arbitrio Decani &

Senloris de Capitulo stare coactus fuit, qui voluerunt, ut *Ubaldu* in reparationem damnorum pupillo causatorum Canonicarum in præfati pupilli favorem resignaret, reservatâ sibi congruâ portione; & ita *Ubaldu* totâ vitâ suâ ob negotia Sæcularia inquietus annos suos transegit. (H)

## RESOLUTIO.

(A) *SI Ubaldu* testamentum fratris tutorio nomine impugnavit, tertiam partem adhuc petere poterat. Simile est in *L. cum quadam. 26. C. de administrat. Tutor.*

(B) Etiam ex hoc capite non tenebat Regula, cõ quod *Ubaldu* ab impugnatione testamenti per transactionem desisteret. *L. Papinianus. 8. §. meminisse. ff. de inofficis.* ac ita testamentum fratrum, inchoando processum, ineffaciter solum oppugnavit, sive valida, sive invalida fuerit transactio.

(C) Minor in ætate pupillari læsus, postquam major factus, intra quadriennii spatium restitutionem in integrum petere potest. *Cap. constitutus. 8. de in integr. restitut.*

(D) *Ubaldu* coram Judice ecclesiastico, utpote Clericus Beneficiatus conveniendus erat. *Cap. nullus. 2. de foro compet.*

(E) Nec *Ubaldo*, exceptionem fori declinatoriam non obmovendo, sed litem contestando, Jurisdictionem Lai-

ci prorogare licebat. *Cap. si diligenti. 12. de foro compet.* idcõque justè ab officio suspensus fuit.

(F) Suspensus ab officio ex consequenti à perceptione fructuum Beneficii suspensus existit; Beneficium enim datur propter officium; quare prohibitus administrare officium, fructus, qui ex officio consequuntur, percipere quoque prohibetur.

(G) Segregatus à communionem Ecclesiæ ab omnibus etiam stipendiis & obventionibus ratione ministerii ecclesiastici debitis segregatur.

(H) Hæc renuntiatio ex triplici capite simoniam continebat. 1<sup>mo</sup>. quia fiebat in damnorum temporalium compensationem. 2<sup>do</sup>. quia coram Ordinario in favorem tertii. 3<sup>io</sup>. quia coram Ordinario sub pensione instituebatur; quamvis si *Ubaldu* absolutè resignasset, Ordinarius eidem congruam ex beneficio sic resignato portionem pro alimentatione assignare potuisset.





## REGULA XL.

*Pluralis locutio duorum numero est contenta.*

**Q**uæres primo. Quis hujus Regulæ sensus ?

*Re.* Quando lex vel alia dispositio plurali utitur numero, ad eam verificandam duo requiruntur, & sufficiunt. Ratio est: quia cum numerus singularis non nisi de uno dicatur, ideo cum sint plures quàm unus, in numero plurali comprehenduntur.


Quæres secundo. Quæ Regulæ exempla ?

*Re.* 1<sup>mo</sup>. Juxta canones antiquos Sacrificio Missæ ad minus duo assistere debebant. *Can. hoc quoque. 61. de consecrat. dist. 1.* cum in missa Dominus vobiscum, & Orate Fratres in plurali numero dicatur. 2<sup>do</sup>. Si Papa ad plura dispensat beneficia, id solum de duobus intelligitur, *Cap. is cui. 19. de prabend. in 6. 3<sup>io</sup>.* Si in testamento post annos

relieta sit servo libertas, post biennium liber erit. *L. libertas. 17. § post annos ff. de manumiss. testam.*

Quæres tertio. Quæ Regulæ exceptio ?

*Re.* Nisi plura exigat, aut unum sufficere Jus exprimat, aut aliunde de eo constet. Ita si ad actus valorem duo requirantur testes, regulariter duo sufficiunt. *Can. si testes. 3. caus. 4. q. 3.* quia tamen jura plures testes ad solemne testamentum requirunt, hæc Regula in testamentis non obrinet. Pronomina: Nos, Vos, Vester plura significant, & tamen ex consuetudine propter dignitatem personæ pro uno sumuntur: quemadmodum Papa se semper in plurali scribit. *Cap. quam gravi. 6. de crimine falsi.*



## REGULA XLI.

*Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.*

**Q**uæres primo. Quis hujus Regulæ sensus ?

*Re.* Qui aliquid facere debebat, nec facit, ei ad pœnam non imputatur omisso,



no, si propter obstans legitimum impedimentum facere non fuerit in illius potestate. Ratio est: quia ad impossibile nemo tenetur, nec unquam quis sine culpa poenam subire, aut jure suo privari debet: non enim est in culpa, qui non agit id, ad quod agendum legitime est impeditus.

Quæres secundo. Quæ hujus Regulæ exempla?

1<sup>o</sup>. Sequentia: 1<sup>mo</sup>. Electoribus, Collatoribus, beneficiorum Patronis, quominus intra tempus à jure præscriptum Prælatus eligant, beneficium conferant, Clericum ad vacans beneficium præsentent, impeditis spatium trium vel sex mensium non currit. *Cap. ne pro defectu. 41. de elect. cap. quia diversitatem. 5. de concess. præbend.*

2<sup>do</sup>. Ad beneficium curatum promotus, si intra annum ordinem Sacerdotii suscipere impeditur, Parochiâ non privatur. *Cap. commissa. 35. de elect. in 6.*

3<sup>io</sup>. Beneficiarius infirmus excusatur, nec beneficii fructibus privatus, quamvis officium suum exercere non possit. *Cap. 1. de Cleric. agrot.*

4<sup>to</sup>. Legatarius, per quem non stetit, quominus conditio legato adjuncta impleretur, legatum consequitur. L.

*qua sub conditione. 8. §. fin. ff. de condition. institut.*

5<sup>to</sup>. Si appellans interpositam appellationem per annum prosequi justè impediatur, causa pro deserta non habetur. *Clem. sicut. 3. de appellat.*

Quæres tertio. Quæ ab hac Regula exceptio?

1<sup>o</sup>. Nisi quis suâ culpâ in casum incidisset, propter quem, quod faciendum fuit, facere non potuit; illud enim negligentia ejus tribuitur, quia casus sequens regulariter ad culpam imputatur. Exemplum foret; si quis ex sua culpa ordinem collato beneficio annexum, ut quia irregularitatem contraxit, suscipere non posset, beneficio privandus esset. *Cap. 1. de atat. & qualit.* Hæc exceptio limitari solet, quando culpa verisimiliter ad talem casum est ordinata, ut in exemplo adducto; aliàs si culpa non est ordinata ad casum, non tenetur quis de casu, sed tantum culpa ei imputatur, licet illa casum præcedat. Pro exemplo adducitur L. *verum est. 38. ff. de furt.* ubi is, qui fores mulieris causâ libidinis effregerat, & casu fures non ab eo inducti, sed aliàs ingressi mulieris res egresserant, furto non teneri judicatur,

## C A S U S.

### *Ad utramque Regulam.*

**W**lmarus famulus Rectoris Magnifici, qui in suo Testamento ducentos imperiales famulis reliquerat

totam Summam solus prætendit, cum tempore mortis ille solus famulus fuerit, [A] quâ obtentâ propter promissionem

Q 31



tionem pecuniæ, quam tamen postea non solvit, Parochiam quoad Titulum, non possessionem fructuosam ob litem in Curia Romana per sex vel septem annos protractam adeptus est: quâ tandem finitâ S. Ordines suscepit. (B) Fructus quoque sequestratos exigit, cum ipse interea officium pastorale nec per se nec per alium exercuerit. (C) Calum in venatione, cui plurimum addictus, Parochianum occidit, quare Parochiam per annum deseruit, nulla ministeria implevit, sacra & anniversaria non ser-

vavit, vices ejus supplente quodam amico è Societate JESU, & tamen dispensatione impetratâ omnes fructus retinuit. (D) Quadam nocte animo peccandi domum vicinæ ingressus occasionem dedit, quod vicina de minus honesta conversatione diffamata, & vicinus de adulterio suspectus, servi & ancillæ per fures omnibus reclusis suis fuerint spoliati, quæ damna cum Pastor impedire non posset, in conscientia se se liberum arbitratur. (E)

## RESOLUTIO.

(A) **Q**uia per Reg. 40. pluralis locutio duorum numero est contenta, *Wimarus* legatum famulis relictum solus prætere tendere non poterat, cum famuli in plurali, ad minus duos significet.

(B) *Wimarus* simoniacè quidem Pastoratum obtinuit, verùm cum esset Simonia conventionalis ab utraque parte nondum completa, pœnas Simoniæ realis non incurrit, quamvis re ad superiorem dilata Titulo Parochiæ privandus esset. Ex eo quod intra annum Sacerdotium non suscepit, titulo Pastoratus privandus non est: quia juxta Reg. 41. imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat; quod per eum faciendum fuerat; nunquam enim in pacifica fuit possessione, quam ut obtineret, per eum non stetit.

(C) Justè sequestratos fructus petit, debentur quippe triumphanti, etsi lite pendente non administraverit: quia ut administraret, per eum non stetit.

(D) Cum exercendo actionem illicitam statumque clericalem dedecentem homicidium commiserit, non obstante quod omnem diligentiam adhibuerit, irregularitatem contraxit. Simile est in cap. tua. nos. 19. de homicid. fructus tamen recipere potest, quia usque ad obtentam in contracta irregularitate dispensationem ministeria pastoralia per alium exercuit; quod autem quis facit per alium, per se ipsum facere censetur.

(E) Regulariter casus sequens ad culpam imputatur. Arg. cap. 1. de asar. & qualis. &c. videlicet quando culpa ad eum calum verisimiliter est ordinata.

R E-



## REGULA XLII.

*Accessorium naturam sequi congruit principalis.*

**Q**uæres primo. Quid nomine principalis & accessorii intelligitur?

**R.** Principale est, quod per se stat, accessorium verò, quod non per se, sed dependenter ab alio, cui inest, vel accidit, subsistit. Varia sunt exempla: sic hortus est accessorius domui, torcular vineæ, frænum equo, captula vasi aureo vel argenteo, cui inciditur, vagina gladio vel cultro est accessoria &c.

Quæres secundo. Quis hujus Regule sensus?

**R.** Quod de principali disponitur, afficit accessorium, ita ut permissio vel prohibito,posito vel ablato principali, concessum vel prohibitum, positum vel ablatum censeatur accessorium. Ratio est: quia accessorium quâ tale cum principali est connexum, ab eoque dependet, connexorum autem eadem est ratio, ita, ut quod de uno dicitur necesse sit, ut de altero intelligatur, *Cap. translato. 3. de constitut.*

Quæres tertio. Quæ hujus Regule exempla?

**R.** Sequentia *1ma.* est in Judiciis. Cui delegata est jurisdictio, ei quoque delegata sunt accessoria jurisdictioni. *cap. praterea. 5. cap. prudentiam. 11. §. sexta. de offic. delegat.* ita, cui data commissio, ut de matrimonio in ordine ad divortium cognoscat, ei quoque, an

dissoluto matrimonio per divortium restituenda sit dos, cognoscendi data est facultas.

*Secundum* in gratiis. Quidam obtinuit gratiam, ut in Canonicum recipiatur, ad quem finem datus est gratiæ executor, sicut ergo morte concedentis non expirat gratia, sic nec executoris officium gratiæ accessorium. *Cap. si super. 9. de offic. deleg. in 6.*

*Tertium* in Simonia. Quia simoniacam est spirituale vendere officium, ideo etiam reddituum temporalium venditio Simonia labem continet: hi enim annexi, & ad officium spirituale sunt accessorii, cum dentur propter officium.

*Quartum* in Testamentis. Si paternum non valet testamentum, nec pupillaris valet substitutio, quæ pars & sequela est paterni testamenti. *§. liberis. 5. institut. de pupillar. substitut.* Legato domo hortus quoque domui accessorius legatus esse censetur.

*Quintum* in beneficiis. Si Parochia Canonicatui est annexa & accessoria, eadem ætas idemque ordo, qui ad principalem requiritur Canonicatum, ad accessoriam sufficit Parochiam,

Quæres quarto. Quæ Regule exceptiones?

**R.** Sequentes. *1ma.* Nisi accessorium



rium vel ex te vel ex legis dispositione à principali sit separabile; ita licet juramentum, quo contractus confirmatur, contractui sit accessorium, invalido tamen contractu obligat juramentum. Sic quoque Juramentum promissioni usurarum, quæ invalida est, adjectum tenet & servandum est. *Cap. debitores. 6. de jurejur.* cum enim tale juramentum ex parte jurantis turpitudinem non contineat, à principali separabile & adimplendum est, non obstante, quod contractus invalidus existat: quia non vergit in æternæ salutis detrimentum, nec redundat in alterius detrimentum, *Cap. cum contingat. 28. de jurejur. cap. quamvis. 2. de pactis. in 6.*

*Secunda.* Nisi sit alia accessorii, quàm principalis ratio, & juris dispositio: sic matrimonio ob uxoris adulterium dissoluto, quod est principale, penes maritum manet dos matrimonio accessoria, quod à jure in pœnam adulterii & favorem innocentis specialiter est constitutum.

*Tertia.* Nisi accessorium omninò sit voluntarium, ut sunt legata, fidei commissa, quæ testamento non sunt necessariò accessoria, cum etiam sine eodem

fieri valeant. *Authent. ex causa. C. de liberis. præter.* Item legata pia in testamento ob solemnitatis defectum irrito valorem obtinent. *Cap. indicante. 4. cap. relatum. 11. de testam.*

*Quarta.* Nisi accessorium speciali innitatur rationi, ita quamvis pupillus sine tutoris autoritate contrahens nec naturaliter, nec civiliter obligetur, fidejussor tamen, qui pro pupillo intercessit, & naturaliter & civiliter obligatur, licet fidejussio contractui sit accessoria: Jura enim præsumunt, quod intercedens pro pupillo seipsum principaliter obligare voluerit.

Demum quantumvis corruente principali corruat accessorium, atamen corruente accessorio non corruit principale; ita si in lege jejunii quoad secundam refectionem dispensatum fuerit, ex hoc tamen in abstinentia à carnibus, quæ est principale in re per legem jejunii præcepta, dispensatum esse dici non debet. Testamentum minus solemne inter liberos subsistit, atamen relicta extraneis legata, quæ sunt accessorium, non subsistunt. *L. hac consultissima. 21. C. de testam.*

## C A S U S.

**Z**egerus ex vitæ melioris proposito professionem regularem emisit: dubitatur, an monasterium in bona succedat. (A) Testamentum quidem antequam de religione cogitasset, fecerat, sed ex pluribus Capitibus nullum, in quo quædam pia legata instituerat, quæ monasterium prætendebat. (B) Ob stoma-

chi debilitatem impetratâ in jejunioregulari dispensatione, toties, quoties placebat, carnes de die comedebat. (C) Sacerdotii ob mutilationem incapax à Prælato etiam Subdiaconatum suscipere prohibetur: (D) Dispensatus tamen à summo Pontifice Ordines minores simul cum Subdiaconatu suscipit, (E) in



(E) in quo etiam sæpius ministravit.  
 (F) Parochiam, quæ aliquando sæcularis erat, nunc monasterio incorporata, adeptus est, in qua plura altaria redditus particulares habentia. (G) Dolo circumventus minique adactus se intra annum curatum Beneficium dimisurum, & ad claustrum rediturum iuravit; quia verò se sine Prælati proprii licentia nihil potuisse promittere novit, promissionem invalidam, neque se Juramento teneri arbitratur. (H) Cum

licentia Prælati emit fundum, cui Jus patronatûs, feudum, aliæque servitutes annexa sunt, super quibus litem movebat venditor, quod similia alienandî nunquam intentionem habuisset. (I) Sæpius Zegerus scrupulum habuit, an professio sua valida esset, eò quod nunquam illam fecisset, si scivisset, quod religiosi tam intra quàm extra claustrum constituri Prælati sui ubique existant obedientiarum. (K)

RESOLUTIO.

(A) **M**onasterium bonorum in communi capax, ut sunt omnium Religionum cœnobîa exceptis Capucinatorum & Observantium per *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 3.* & paucis aliis per speciales constitutiones approbatis, ut Discalceati, in omnia bona & Jura professi succedit per hanc Regulam: Cui per professionem Religiosus dat principale, id est se, etiam dat sua, quæ sunt, accessoria.

(B) Quamvis testamentum ob solemnitatum defectum nullum esset, pia tamen legata valebant. *Cap. indicante. 4. cap. relatum. 11. de testam.* licet enim testamento accessoria sint legata, necessariò tamen accessoria non sunt.

(C) Dispensatus in Jejunio quantum ad unam refectionem, in abstinentia dispensatus non est, nec e contra; quantumvis enim illa in præcepto Jejunii conjuncta sint, partes tamen præcepti separabiles sunt: ideoque dispensatus  
*R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.*

in una parte præcepti, in altera dispensatus non est.

(D) Sacerdotii v. g. ob carentiam oculi canonici incapax, Subdiaconatus tamen capax est; siquidem et si Ordines inferiores ad Sacerdotium ordinentur, merè tamen accessorii non sunt, ita, ut suscipere Sacerdotium, vel in eodem ministrare prohibitus, Subdiaconatum quoque suscipere, vel in illo ministrare prohibeatur.

(E) Eadem die Subdiaconatus cum quatuor minoribus conferri non debet quod si tamen Subdiaconatum cum minoribus conferendi fuerit consuetudo, suscipientes non sunt suspensi. *S. Congreg. ad cap. 13. Trident. de reform. Sess. 23.*

(F) Duos ordines Sacros eodem die suscipiens suspensionem quidem incurrit, *Cap. literas. 13. de tempor ordinat.* & consequenter ordinem taliter susceptum exercens irregularis efficitur.

R

citur,



citur. *Cap. Apostolica. 9. de Cleric. ex-  
somm.* quod tamen de eo, qui eodem  
die Subdiaconatum cum quatuor mi-  
noribus suscipit, dicendum non est.


(G) Si altaria redditus speciales ha-  
bentia in particularia beneficia non  
fuerint erecta, *Zegerus* eo ipso quo  
Pastor est, etiam Rector altarium vi  
præsenti Regulæ existit; secus, si al-  
taria specialia sint beneficia.

(H) Juramentum hoc promissionis  
non firmat contractum, qui duplici  
ex capite infirmus est: 1<sup>mo</sup>, quia do-  
lo & minis extortus; 2<sup>do</sup>, quia à per-  
sona Prælato per votum obedientiæ  
subjecta factus; idcirco Juramento  
ex religionis tantum virtute obligatur,  
in quantum res jurata licita est & ho-  
nesta, ac ita tam promissio quam Ju-  
ramentum implicitam conditionem: Si

Prælatus consentiat, involvit, quo  
contradicente non potest, consentien-  
te potest, & vi Juramenti cedere de-  
bet. *Cap. debitores. 6. Cap. cum contin-  
gat. 28. de jurejur. Cap. quamvis. 2. de  
pact. in 6.*

(I) Vendendo fundum seu princi-  
pale, simul tanquam accessoria cessit  
Jus patronatûs & servitutes prædio an-  
nexas, quamvis de illis non cogitaverit,  
dummodo specialiter non exceperit.  
*Cap. ex literis. 7. de Jure patronat.*

(K) Eodem modo volens *Zegerus*  
principale, in tali nempe ordine &  
monasterio facere professionem, ad  
omnia quoque accessoria ejusdemque  
monasterii disciplinam & constitutio-  
nes sese obligare voluit, unde scrupu-  
lus inanis non subsistit.



## REGULA XLIII.

*Qui tacet, consentire videtur.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regulæ  
sensus?

ꝛ. Qui tacet in dubio non dissen-  
sire, sed consentire videtur, dummo-  
do res in se æqualiter dubia sit, nec  
in contrarium appareat conjectura. Ra-  
tio est: Cum enim à natura nobis in-  
ditum sit, ut iis, quæ fieri nolumus,  
contradicamus, nisi à contradictione  
aliunde retrahamur, ideo si tacemus

& non contradicimus, in dubio non  
dissentire, sed consentire rectè præ-  
sumimur.

Quæres secundò. Quæ hujus Regu-  
læ exempla?

ꝛ. Sequentia: 1<sup>mo</sup>. Si filia soluto  
matrimonio patri dotem repetenti non  
contradicat, in actionem patris pro  
dote consentire præsumitur. *L. soluto.  
2. §. voluntatem. ff. soluto matrimon.  
2<sup>do</sup>.*




2do. Si parentes in liberorum præsentia pro illis sponsalia contrahant, liberi non contradicentes sponsalibus obligantur 3110. Si filius patri absentem nomine illius mutuum suscepturum per literas significet, nec pater contradicat, quasi consentiens mutuum solvere tenetur. *L. si filius familias. 16. ff. ad Senat. consult. macedon. 4to.* Collationem beneficii quis ex taciturnitate acceptare præsumitur. 510. Si servus sciente & non contradicente Domino in Clero fuerit ordinatus, ex hoc ipso liber & ingenuus est. *Can. si servus. 20. dist. 54. 6to.* Prædium Ecclesiæ vel monasterii locatione temporaneâ elocato, si Capitulum sciat nec contradicat, locatio firmum robur habet. *Cap. continebatur. 2. de his, quæ fiunt à Prælato &c.*

Quæres tertio. Quæ Regulæ limitationes?

12. Regula non tenet 1mo. Si tacens id, quod agitur, vel penitus ignorat, vel non intelligit. 2do. Si is, qui aliquid fieri novit, sed contradicere non

potest: ut; quando Superiores ad inferiorum transgressiones tacent, quia illos absque tumultu vel scandalis corrigere nequeunt, dispensare vel legem abrogare non censentur. *Can. nervi. 2. dist. 13. 3110.* Quando verba vel signa æquipollentia ad formam actûs requiruntur; Sic adultus baptizatus in sui baptizatiōem consensisse non censetur, si ad prævias interrogaciones tacuerit. *Can. cum pro parvulis. 77. de consecrat. dist. 4. 4to.* Si ex consensu sequatur delictum. Sic Prælatus ad illegalem rei Ecclesiasticæ alienationem tacens consentire non præsumitur, sed tacendo non tam velle, quàm nolle dicendus est, ad excludendam peccaminosam voluntatem, quæ in dubio adesse non judicatur. *Cap. nihil. 2. de prescript. 5to.* Si jura aliud non statuunt; ita in fraudulentam rei suæ contractationem non consentit, cui videnti & tacenti res sua auferitur, disponente in furis odium *L. si quis. 91. ff. de furtis.*



## REGULA XLIV.

*Is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur.*

Quæres primo. Quis hujus Regulæ sensus?

12. Qui ad interrogationem tacet, nec pro confesso, nec pro negante ha-

betur. Ratio est: quia inter confessionem & negationem medium est silentium seu taciturnitas, quæ nec est confessio nec negatio; in contrariis au-

R 2

tem



tem, quæ non habentur ad exclusionem illius, non sequitur inclusio alterius, ut ex hoc, quod quis negetur esse albus, non sequitur, quod concedatur esse niger; quia inter album & nigrum medium est. Differt hæc Regula à præcedenti, quod in illa de consensu, in hac de negatione & confessione agatur. Exemplum est: Si Titius à Cajo creditore extra iudicium interrogatus, an sibi non debeat, ad interrogationem taceat, vi præsentis Regulæ nec debitum fatetur, nec inficiari videtur. *L. si filius. 19. ff. de interrogat. in Jus. faciend.*

Quæres secundo. Quæ Regulæ exceptio?

1. Regula non tenet, si legitimè vel legaliter interrogatus non respondeat, tunc enim pro confesso habetur.

Exempla sunt 1<sup>mo</sup>. Titius in iudicio interrogatus, an hæres sit, sitacet, pro confesso habetur. *L. de arat. 11. §. qui tacuit. ff. de interrogat. in Jus. faciend.* 2<sup>do</sup>. Reus positionibus ab ad-

versario sibi factis interrogatus iussuque à Iudice respondere, si absque rationabili causa recuset, aut nolit, haberi debet super iis, de quibus in eisdem positionibus interrogatus existit, pro confesso. *Cap. si post 2. de confess. in 6. 3110.* Qui de duobus in iudicio sibi objectis unum negat, & alterum tacet, hoc ipsum, de quo silet, confiteri præsumitur. *Cap. nonne. §. de præsumpt. ubi pro exemplo adducitur Christus, cui à Judæis objiciebatur: Nonne bene dicimus, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? ad primum tacuit, & se Samaritanum esse tacendo concessit, ad secundum respondit: Ego dæmonium non habeo. 4<sup>to</sup>. A potestate publicâ interrogatus, cujus sit religionis, si taceat, religionem negare videtur. Colligitur ex propositione ab Innoe. XI. damnata: *Si quis à potestate publica interrogatur, fidem integrè confiteri ut DEO & fidei gloriosum consulo: tacere ut peccaminosum per se non damno.**

## C A S U S.

### *Ad utramque Regulam.*

**A**ldobrandina vestibus religiosis (exto ætatis anno induta, & duodecimo ætatis anno ad monasterium deducta ibidem per quatuor annos & ultra inter religiosas vixit. (A) Mortuis parentibus à proco è monasterio educta (B) & ab Episcopo interrogata, an matrimonium ineundi, ac hunc

ducendi animum haberet, aut ei matrimonium promiserit, tacuit. (C) Interrogata 2<sup>do</sup>, an existens in monasterio voluptatem ad religiosam vitam, aut animum in ea permanendi habuisset, respondit: dum mihi bene erat, ibidem totâ vitâ manere, dum malè, suspirabam, & ne momento, si pos-

sem



sem, in eo perseverare volebam. (D) Procus *Aldobrandinam* unius mensis inducias petentem ad Parochum suum abduxit, ac ibidem ei dans manum coram duobus testibus se illam in uxorem accipere dixit; ad quod ipsa filer. (E) Et modestè se subducens ad prius monasterium revertitur; petens admitti

cum contestatione, quod si hactenus professionem non fecerit, jam hoc momento eam facere parata sit. (F) Moniales eam non aliter, quàm ut novum servet novitiatum, cum verum novitiatum nunquam habuisset, admittere volebant: (G) Procus e contra suæ uxoris restitutionem urgebat. (H)

R E S O L U T I O.

(A) **S**I *Aldobrandina* post adeptam quindecim annorum ætatem ultra annum in habitu & religiosis exercitiis cum aliis permansit, tacitè professæ censetur, nisi de opposito contestata fuerit. *Cap. ad nostram. 8. cap. ex parte. 22. de Regular.*

(B) Si cum proco monasterium egressa professionem invalidam vel non legitimè se professam prætendebat, formam à *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 19.* contra professionem reclamare volentibus præscriptam servare debebat.

(C) Ad extrajudicalem Episcopi interrogationem tacendo non confitebatur, quod procum ducendi animum habuerit, multò minùs quod sponsalia contraxerit, conformiter *Regulæ 44tæ.*

(D) Ad tacitam professionem sufficiebat, quod animo perseverandi ultra annum habitam legitimam ætate habitum religiosum portaverit, actusque communes cum cæteris Monialibus exercuerit. Nec illæ velleitates tempore desolationis indicant *Aldobrandinam*

absque proposito se per vota obligandi habitum gessisse.

(E) Coram Paracho & testibus ad verba proci silendo non contraxit matrimonium; quamvis enim in facto appetibili taciturnitas pro consensu habeatur, juxta *Reg. 43.* non tamen in facto oneroso, sed tunc regulariter expressus requiritur consensus. *Gloss. in Reg. 44.*

(F) Posito, quod *Aldobrandina* cum proco contraxisset, ante consummationem tamen matrimonii pœnitere, & ad monasterium reverti poterat. *Cap. verum. 2. de convers. conjugat.*

(G) Quadriennem servavit Novitiatum, cum quadriennio habitum religiosum portaverit, ac intra claustrum animo ibidem permanendi cum reliquis Monialibus vixerit; ideòque *Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 15.* continuum novitiatum annum præscribenti abundè satisfactum.

(H) Ex dictis constat procum non habere Jus repetendi *Aldobrandinam.*





## REGULA XLV.

*Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.*

**Q**uæres. Quis hujus Regulæ sensus?

**R.** Quando disponentis mens & voluntas aliunde non constat, nec certa est, sequimur id, quod ponderatis omnibus circumstantiis veritati magis est conforme & proximum, aut in negotiis similibus communiter fieri solitum. Exempla sunt: *immum*. Si quis instituto in hæredem filio extraneum substituat, substitutio sub conditione: Si filius sine liberis decesserit, facta præ-

tumitur. *L. cum avus. 102. ff. de condition. & demonstrat. 2. dum*. Percussio filii à Patre potius correctionis quàm vindictæ aut injuriandi causâ facta esse censetur. *L. unsc. C. de emendat. propinquor. 3. tum*. Ex Jure Canonico mulier metu mortis ad Monasterium confugiens & in eo perseverans, quamdiu causa metûs durabat, tacitè professionem emisisse non præsumitur. *Cap. 1. de his, qua vi metûsve caus. Sc.*



## REGULA XLVI.

*Is, qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debet.*

**Q**uæres primò. Quotuplex est in jure Successor?

**R.** Pro intelligentia hujus Regulæ, in universalem & particularem distinguendus est Successor. Universalis est, qui in omne sive universum defuncti restatoris jus succedit, ejusdemque per-

sonam ut hæres repræsentat. *L. quoties 9. §. 12. ff. de heredib. instituend. & servus institut. eod. tit.* Et perinde est, sive sit hæres ex alle, aut in tota hæreditate, sive sit hæres ex parte, ut in tertia vel quarta parte hæreditatis: quia hæres in parte, in qua succedit defunctum, uti



uti hæres ex affe eundem in tota repræsentat hæreditate. Inter hæredes universales Rex in Regno, Princeps in Principatu, Prælatus in Abbatia succedentes numerantur. Successor singularis, & particularis est, qui in certa aliqua & singulari re succedit, ut Legatarius, cui in testamento legatum relictum vel in quem ex contractu donationis, cessionis, emptionis, permutationis &c. res quædam est translata.

Quæres *secundò*. Qualiter Regula de Successore universali est intelligenda?

ꝛ. Successor universalis consequitur jus agendi tam personale quam reale, quod defuncto competebar: è contra Jus agendi, quod aliis contra defunctum competebar, iidem etiam habent contra Successorem universalem. Item Jus excipiendi, quod defunctus habebat in universalem transit Successorem: è contra jus excipiendi, quod alii contra defunctum obtinebant, iidem in universalem Successorem iuste extendunt. Ratio est: quia hæres vel Successor universalis cum defuncto aut antecessore suo fictione Juris una eademque persona esse censetur, una verò eademque persona diverso Jure uti non debet. *Cap. cum in tua. 30. de Decimis.*

Quæres *tertio*. Quæ Regula exempli?

ꝛ. Sequentia. 1mo. Hæredi defuncti aut antecessoris mala fides nocet, ita, ut quamvis in bona fide existat, rem tamen à defuncto vel ejus antecessore mala fide possessam & ad se devolutam præscribere non possit. *L. cum hæres. 11. ff. de divers. temporal. præscript.*

2do. Facto defuncti hæres etiam ex propria persona contravenire nequit, ita, ut si mater paterna filii bona venderit, filius, si hæres esse velit, bona divendita vindicare non valeat, sed doli mali exceptione submoveatur. *L. cum à matre. 14. C. de res vindicet.*

3tio. Successor in Regno, Principatu vel religione pacis fœdera, infeudationes, pactiones publicas, quin & contractus cum subditis ab antecessore initos servare obligatur.

4to. Prælatus ab antecessore gesta rata habere, & pactis nomine Ecclesiæ factis stare debet. *Can. Eleutherius. 30. caus. 18. q. 2.*

5to. In dignitate vel Prælatura Successor rescripta Apostolica ad Antecessorem dignitatis nomine data executioni mandare tenetur. *Cap. quoniam. 14. de offic. delegat.*

6to. Demum Prælatus vi rescripti contra Antecessorem impetrati rectè convenitur. *Cap. significavit. 36. de rescript. cap. dilecti. 17. de foro compet.*

Quæres *quarto*. Qualiter Regula de Successore particulari intelligenda?

ꝛ. Successor in re particulari omnia Jura realia agendi & excipiendi, quæ Antecessor obtinebat, habere non dubitatur, cum res cum quibuscunque oneribus & privilegiis realibus transferatur; sic prædio vendito & tradito aquæ ductus transit ad emptorem. *L. si aqua ductus. 47. C. de contrahend. emption.* Jura tamen & obligationes personales ad Successorem particularem non devolvuntur: hæc enim personam sequuntur, cum illæque extinguuntur; hinc



hinc mala fides legantis, donantis, vendentis, Legatario, Donatario, emptori non adfert nocumentum. *L. an visium. 5. ff. de divers. temporal. prescript.*

Quæres quinto. Quæ ab hac Regula exceptiones?

*Pr.* Sequentes: *1ma.* Obligatio contractus mandati vel societatis non transit ad hæredes vel Successorem universalem. *L. qui negotia. 34. ff. mandati. L. actione. 65. §. societas. ff. pro socio.*

*Secunda.* Pœna ab Antecessore ob delictum debita ab universali non est solvenda Successore, ne pœna ulterius progrediatur quàm delictum. *L. sancimus. 22. C. de pœnis.* nisi lis contra defunctum super crimine contestata, vel ex scelere aliquid turpiter acquisitum; tunc enim Successorem vel in solidum, vel in quantum ad eum pervenit, conveniri posse, Juris absolutissimi est. *L. unic. C. ex delictis defunct.*

*Tertia.* Donationem quam ob donatarii ingratitude revocare potest donator, revocare nequit donatoris

Successor. *Cap. fin. de donat. L. fin. G. de revocand. donat.*

*Quarta.* Privilegium mariti, quod in restituenda dote ultra id, quod commodè reddere potest, conveniri non valeat, ad hæredes mariti non extenditur. *L. maritum. 12. ff. soluto matrim.*

*Quinta.* Licet debitor Creditori suo debitum per partes solvere nequeat, si tamen plures debitoris sunt hæredes, quilibet partem suam solvere potest. *L. planè 3. ff. famil. eriscund.*

*6ta.* Legatarius quamvis legatum suum pro parte acceptare, & pro parte repudiare non valeat; si tamen plures legatarius habeat hæredes, unus legati sui partem acceptare, alter repudiare potest. *L. legatarius. 38. ff. de legat.*

*Septima.* Clericus hæres laici coram suo iudice conveniendus est. *Can. nullus 1. 6. 33. caus. 11. q. 1.*

*Octava.* Juspatronatus si à laico ad Ecclesiam transfertur, Ecclesia habet sex menses, quamvis laicus solum quatuor habuerit. *Cap. unic. de jure pat. in 6.*

## C A S U S.

### *Ad utramque Regulam.*

**B**eatrice unica Regis filia, quia à Parente ad invitas nuptias compellebatur, ad Monasterium confugit, ibique habitum recipiens usque ad mortem Patris mansit; (A) postquam egressa Regni prætendebat gubernacula, (B) & adstipulante Ministorum

factione cum Rege A catholicico fœdus & sponsalia contraxit in casum, quo Romanus Pontifex vel eam à votis absolveret, vel ad minus dispensaret. (C) Et eo fœdere subditi plurimum sunt passi obligati summam appromissam solvere, si Regina à fœdere discederet



deret. [D] Accedente Summi Pontificis dispensatione Regis Catholici filio nupsit. (E) Qui mortuam Regina à Rege Acatholico, ut cæteras à Regina initi fœderis condiciones impleret, bello impetitus fuit. (F) Varia quoque debita, quæ Regina tempore regiminis contraxerat, exigebantur. Regina subditis promiserat, quod si fideles manerent, per decennium ab omni ordinaria contributione eos liberos fore. (G)

Votum quoque fecit, quod si ex omnibus hisce emerget difficultatibus, ad ædem Lauretanam Xenium 20000 imperialium donare vellet. (H) Consiliarii Regis vidui eundem ad nullum horum obligari putant, eò quod conjux defuncta in istis conjuncturis in quibus erat ante matrimonium, quodlibet cui iibet promississet: sed obstitabat Confessarius. (I)

## RESOLUTIO.

(A) **M**etus, ex quo *Beatrix* Monasterium ingressa, ut invisas fugeret nuprias, ad extorquendum religionis ingressum, incussus non erat, qualis tamen, ut matrimonium carnale vel spirituale irritum reddat, requiritur in *cap. 1. de his, quæ vi &c.* ideoque tacita vel expressa *Beatricis* professio non obstante *Regul. 45.* valorem habebat.

[B] Fœdus & sponsalia cum Rege Acatholico etiam sub conditione: si Papa absolveret, vel in votis dispensaret, illicita erant, nec obligationem inducebant, cum non detur vinculum iniquitatis. *Arg. cap. quanto 18. de iurejur.*

(C) Fœdere illicito & invalido à Regina contracto subditi non tenentur, & damna ipsis ex hoc emergentia Regina ejusve Successor maritus compensare obligatur, si Regina vitæ suæ tempore hæc non resarcierit, per *Reg. 46.*

(D) Summus Pontifex ex causa publica, ut hic erat, in tolemni religionis voto dispensandi habet potestatem. Est communior Canonistarum sententia, fundata in *cap. unic. de voto in 6.* ubi voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiæ dicitur adinventæ.

(E) Successor eodem Jure, quo Regina, contractum iniquum servare non tenebatur,

(F) Promissa tamen subditis facta per eandem *Reg. 46.* solvere debebat.

(G) Similiter reale uxoris votum de præstando Xenio reddere obligatur. *Cap. licet. 6. de voto. L. si quis. 2. ff. de pollucit.*

(H) Regem, quod promissa ex metu facta fuerint, non excusat, metus enim ad ea extorquenda non fuit incussus. Hinc Consiliariis malè consulentibus benè resistebat Confessarius.



## REGULA XLVII.

*Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regulæ sentus ?

ꝛ. Ea quæ in facto consistunt, in dubio quis ignorare præsumitur, nisi ejus scientiam habuisse probetur. Ratio est: quia quæ in facto consistunt, probabiliter ignorari possunt; ideòque non Juris, sed facti excusat ignorantia, ubi autem quis præsumptionem non habet contra se, dicenti incumbit probatio, & ex hoc in dubio facti non præsumitur scientia. Exemplum est in *L. verius. 21. ff. de probat.* cujus hic est casus: Quando testator rem legat, quam alienam esse sciebat, hæres illam redimere, vel æstimationem tradere tenebatur: sed petebatur, quis, quod testator rem sciverit esse alienam, probare debeat; & respondetur per hanc Regulam, quod legatarius probare teneatur, scivisse testatorem, quod res esset aliena; quia in dubio præsumitur ignorantia, quâ præsumptione onus probandi in allegantem scientiam transfertur. In Jure canonico exemplum habemus *Cap. si verò. 4. de Sentent. excom.* ubi percutiens Clericum obligatur probare ignorantiam Clericatus in persona, quam percussit, ob præsumptionem scientiæ ortam ex eo,

quod percussus ex habitu & tonsura pro Clerico publicè habitus fuerit; si verò habitum non detulerit, alteri, quod percutiens Clericum esse sciverit, probandi onus incumbit.

Quæres secundò. Quæ ab hac Regula exceptiones ?

ꝛ. Sequentes: 1mo. Si factum non sit occultum, cum circa ea, quæ publicè fiunt, præsumatur scientia, nisi probetur ignorantia. 2do, cessat Regula in his, quæ quis scire vel indagare tenetur, in quibus ignorantia, nisi probetur, non præsumitur. Exemplum est in electione Prælati: Electores in vitam & mores eligendi inquirere debent, ideòque si indignum eligant, quod indignitatem nescierint, probare coguntur. *Can. In Sacerdotibus. 2. dist. 61. can. dilectissimi. 2. caus. 8. q. 2. cap. cum in cunctis. 7. cap. innotuit. 20. de elect.* 3tio. Fallit Regula in factis propriis, quæ quilibet scire existimatur. *L. fin. ff. pro socio.*


Quæres tertio. Quomodo ignorantia probatur ?

ꝛ. Modis tribus. 1mo per Juramentum, ut si me ignorasse in veritate Juramento affirmem. *Cit. cap. si verò. 4. de Sent. excom. Cap. pastoralis. 4. de except.*



except. 2do. Si id, ad quod necessa-  
riò ignorantia consequitur, ut me im-  
potentem aut amentem fuisse, demon-  
stretur. Cap. cum dilectus. 3. de Success.

ab intestat. 3tio. Si id, ex quo verifi-  
militer me ignorasse sequitur: ut me  
isto tempore abentem fuisse probe-  
tur.



# REGULA XLVIII.

*Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria  
vel jactura.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regulæ  
sensus?

R. Jure naturæ æquum est, nemi-  
nem cum alterius detrimento & injuria  
fieri locupletiozem. Exempla sunt 1mo.  
Si pupillus vel minor restitutionem in  
integrum perat, ea non aliter concedi-  
tur, quàm ut non ex alieno ditescat  
detrimento, & perceptos ex fundo  
fructus restituat. L. Si pupilli. 66. ff. de  
solut. 2do. Ecclesia cujus fundum Præ-

latus illegaliter alienavit, adversus  
contractum, nisi reddito pretio, si ex-  
stet, vel in Ecclesiæ versum utilitatem,  
in integrum non restituitur.

Quæres secundo. Quæ Regulæ ex-  
ceptio?

R. Regula præfens limitatur in ca-  
sibus, in quibus quis propter utilitatem  
publicam, ut in præscriptionibus &c.  
Jure suo privatur.

## CASUS.

*Ad utramque Regulam.*

**C**arolina libera cum Titio servo ma-  
trimonium contraxit, quo con-  
summato Carolina pro separatione in-  
stat, eò quod servilem Titii conditio-  
nem ignoraverit. (A) Opponit Titius  
se publicè ut servum habitum fuisse:  
(B) & dato, quod ante matrimonium  
contractum nesciverit, scivisse tamen

ante ejusdem consummationem, (C)  
aut saltem tunc debuisse & potuisse sci-  
re, quia frequentabat ædes Domini,  
in quibus Titium ut servum haberi vi-  
debat. (D) Econtra opponit Carolina,  
quod Titium famulum conductitium,  
non autem servum propriè dictum esse  
putaverit, cum nequidem sciverit one-



ra propriè dictæ servitutis, (E) & offert Juramentum, quod nec ante matrimonium contractum, nec ante illius consummationem onera propriè dictæ servitutis noverit. (F) Judex matrimonium dissolvit, *Carolina* ta-

men proliis alimentationem injungit, cum servus eam alere non possit, nec Dominus teneatur, si contractum matrimonium aut *Carolinam* liberam esse ignoravit. (G)

## RESOLUTIO.

(A) Titio servo probandum est, quod *Carolina* ipsum noverit esse servum, per *Reg. 47.* Si *Carolina* servitutis conditionem verè ignoravit, nullum est matrimonium. *Cap. proposit. 2. cap. fin. de conjug. Servor.*

(B) Si Titius publicè habitus fuerit ut servus, contra *Carolinam*, quod servitutem sciverit, militat præsumptio, quæ onus probandi transfert in eandem. *Cap. si verò. 4. de Sentent. excom.*

(C) Si ante matrimonii consummationem servilem sciverit conditionem, ipso facto in servum consensit, ideoque validum est matrimonium. *Cap. fin. de conjug. Servor.*

(D) Si facile scire poterat, scivisse præsumitur.

(E) Cum ex antecedentibus contra *Carolinam* violenta oriatur præsumptio, ipsa probare debet, quod Titium non mancipium, quod est facti, sed famulum conductitium fuisse putaverit: similiter eidem probandum est, quod naturam propriæ servitutis ignoraverit, quod est Juris, cujus ignorantia non præsumitur.

(F) *Carolina* per Juramentum suum probare debet ignorantiam. *Cic. cap. si verò. 4. de Sent. excom. cap. pastoralis. 4. de exception.*

(G) *Carolina* libera prolem alimentare tenetur, cum partus ventrem sequatur: aliàs si alimentatio incumberet domino, vel injungeretur servo, *Carolina* ab onere isto absoluta contra *Reg. 48.* cum Domini locupletaretur jactura.

## REGULA XLIX.

*In poenis benignior est interpretatio facienda.*

Quæres primo. Quis hujus Regule sensus?

ꝛ. Dum dubitatur, quænam ex

duabus aut pluribus poenis delinquenti sit infligenda, vel legis verba sunt ambigua, ita, ut in mitiorem vel severiorem



riorem sensum trahi valeant, mitiorem ac benigniorem sequi oportet. Ratio est; quia odia restringenda, favores autem ampliandi. *Reg. 15. de reg. fur. in 6.*

*Quæres secundo.* Quæ Regulæ exempla?

*R. 1mo.* Si quid sub pœna præcipitur, ipso Jure pœna non incurritur, sed solum pœnæ comminatio esse videtur. *Gloss. in cap. Sicut tuis. 33. de Simon. V. Anathematis. 2do.* Ut pœna incurrat, delictum consummatum, & liquida debet esse probatio. *3tio.* In pœnis nunquam in defectu probationis defertur Juramentum. *4to.* Pœna in una parte apposita, in altera non censetur repetita. *5to.* Pœna locum non habet, nisi sit expressè constituta.

*Quæres tertio.* Quæ sunt Regulæ exceptiones?

*R. Sequentes: 1mo.* In pœnis fit extensio, quatenus verborum significatio proprietatis. *2do.* In pœna excommunicationis Regula non tenet, cum nomine excommunicationis major intelligatur excommunicatio. *Cap. si quem. 59. de Sentent. excom. 3tio.* Ad fraudem removendam in pœnalibus fit extensio, ne illusoria reddatur dispositio. *4to.* Quando in materia pœnali de publica agitur utilitate, facienda est extensio, ne delicta maneant impunita. *5to.* Quando de Ecclesiæ fidei, animarumque agitur favore, pœnalis extenditur constitutio.

## REGULA L.

*Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.*

*Quæres primo.* Qui actus dicuntur legitimi?

*R.* Pro intelligentia hujus Regulæ inter actus legitimos distinguendum est: *1mo* Aliqui actus dicuntur legitimi, quia per legem sunt introducti, approbati & recepti; tales actus sunt testamentum, codicillus, donatio, venditio, locatio, cum reliquis contractuum speciebus; uti etiam electio, postulatio, sponsalia, matrimonium. De actibus legitimis in hoc sensu præsens

Regula non tractat: sed actus hîc vocantur legitimi, qui ex natura sua, aut speciali Juris dispositione adjectionem conditionis de futuro, vel certæ diei non admittunt. Tales sunt omnes actus, qui ex institutione sua aut Jure sic disponente certam & absolutam verborum formam requirunt. His præmissis

*Quæres secundo.* Quis Regulæ sensus?

*R.* Actus legitimi, qui vel ex natura sua, sive ex institutione, sive ex speciali



ciali Juris prohibitionem conditionis de futuro contingenti, vel diei appositionem non admittunt, per diei aut conditionis appositionem vitiantur, & invalidi sunt. Ratio est: quia tunc conditionis vel diei adjectio actus contrariatur substantiæ, cum conditionis vel diei appositio vim hujusmodi actuum suspendat, eò quod hi actus instituti sint, ut certò & statim purum sortiantur effectum.

Quæres tertio. Quæ Regulæ exempla?

R. Ex jure canonico sunt sequentia: 1<sup>mo</sup>. Baptismus, Confirmatio, Pœnitentia Extrema unctio, & ordo, cum ex institutione Christi certam & absolutam verborum formam habeant, conditionem de futuro, & adjectionem diei, à qua valorem suum obtineant, non admittunt, quia effectus horum Sacramentorum à conditione & eventu futuro dependere nequit: ideo quamvis confessarius pœnitentem de cujus dispositione dubitat, in necessitate sub con-

ditione de præsentis, si est dispositus, absolvere valeat, non tamen sub conditione de futuro, ut: absolvo te, si furtum restitueris: absolvo te à die, quâ occasionem hanc deserueris.

2<sup>do</sup>. Sacramentum matrimonii licet conditionem de futuro honestam admittat, attamen per adjectionem conditionis tribus bonis matrimonii, videlicet indissolubilitati, prolis procreationi & fidei conjugali repugnantis vitatur. *Cap. fin. de condition. apposit.*

3<sup>io</sup>. Electiones & postulationes Prælatorum sub conditione de futuro institui non possunt. *Cap. in electionibus. 2. de elect. in 6* nec ad certum tempus quis eligi valet. *Gloss. in cit. cap. in electionibus. v. incerta.* Nec electus aut postulatus in electionem aut postulationem de se factam sub conditione consentiendi habet potestatem.

4<sup>to</sup>. Collationes beneficiorum Ecclesiasticorum sub conditione, saltem à Prælati Ecclesiastici Summo Pontifice inferioribus, fieri non possunt,

## C A S U S.

### Ad utramque Regulam.

**D**elinquenda Canonissa sæcularis in Collegio utriusque Sexûs eligitur, vel postularur in Abbatissam per majorem Capituli partem, (A) quibusdam vorum dantibus sub conditione: si statuta ante jurata servatura esset, & electa consensit pariter sub conditione: si Capitulares appromissam reverentiam &

obedientiam præstituræ essent. (B) Quidam Canonicorum opponit electionem illegaliter esse factam: 1<sup>mo</sup>. quia à duabus partibus concorditer facta non est. (C) 2<sup>do</sup>. Quia *Delinquenda* puella octodecim annorum. (D) 3<sup>io</sup>. Quia putaretur esse illegitima, quod quidem in admissione oppositum, sed oppositio-

res



res forsan corrupti ab oppositione destiterunt. (E) 410. Quia disjunctivè elegerunt, vel postulassent. (F) 510. Quia aliquæ conditionatum dedissent votum. (G) 1610. Quia electa conditionatè consensisset, unde cum peccatum esset in

forma, & consentientes indignam elegerunt, pro hac vice penes se & paucos sibi consentientes totam esse eligendi facultatem. Ludovicam igitur quinquagenariam Canonissam Capituli præpositam nominavit. (H)

## RESOLUTIO.

(A) **Q**uamvis Ecclesia statum Canonissarum sæcularium non approbet, earum tamen Abbatissæ eodem modo & formâ, quâ Abbatissæ Regulares eligendæ sunt. *Cap. indemnitatibus. 43. §. supra dicta. de elect. in 6.* nec ad electionem Abbatissæ major pars sufficit, si in discordia facta sit, hoc est, si eligentes duas fecerint electiones, & quælibet pars electionem suam per commune Decretum promulgavit. *Cit. cap. indemnitatibus.*

(B) Per Regul. 50. & *cap. in electionibus. 2. de elect. in 6.* vota eligentium absoluta esse oportet, & consensus in electionem similiter absolute & sine conditione ab electa præstandus est.

(C) Si electio in discordia facta fuerat, & major pars unam, & minor pars alteram fecerat electionem, accessus fieri poterat, ita, ut minor ad majorem accederet partem, quo accessu facto, si duæ partes consentirent, confirmanda erat electio, si autem aliæ non accederent, aut accedentes duas partes non facerent, antequam confirmaretur, vel infirmaretur electio, audiendi erant consentientes: interim administratio, absque facultate tamen alienandi est pe-

nes electam à majori parte. *Cit. cap. indemnitatibus. §. sanè.*

(D) Circa ætatem Abbatissarum Regularium in *Cit. cap. indemnitatibus §. 1.* disponitur, quod eligenda non sit nisi tricesimum annum compleverit, quod etiam in Abbatissis sæcularibus requiritur.

(E) Si duæ partes ad minus per accessum in electam consenserunt, electio admittenda & confirmanda est, & accusantes post confirmationem sunt audiendi. *Cit. cap. indemnitatibus §. cæterum.*

(F) Si vota disjunctivè dederunt: postulo vel eligo: nulla erant. *Cap. unic. de postulat. in 6.*

(G) Similiter vota conditionata reprobantur in *cap. in electionibus in cit.*


(H) Eligentes in forma peccantes non ipso facto privati, sed eligendi potestate sunt privandi. *Cap. quia propter 42. de elect. ibi: Qui vero contra præscriptas formas eligere attentaverint, eligenda eâ vice potestate priventur.* Quæ verba de privatione per Judicem facienda intelligi debent, per *Reg. 49.* Demum consentientes in indigni electionem potestate istâ vice eligendi ipso facto privati existunt



existunt. *Cap. eum in cunctis. 7. cap. cum Wintonensis. 2. 5. de elect. cap. perpetua. 7 eod. in 6.*

consistentibus ab uno vel paucis innocentibus electa Ludovica foret confirmanda.

Quapropter omnibus his in facto.



## REGULA LI.

*Semel DEO dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum.*

**Q**uæres primo. Quis hujus Regulæ sensus?

ꝛ. Ecclesiæ, Altaria, Cœmiteria, Calices, Patenæ, Vestimenta, & Suppellex Sacra, mediante benedictione, consecratione aut aliâ Episcopali ordinatione ad cultum divinum & sacrum deputata Ministerium, ad humanos id est sæculares ac profanos, maximè viles & humiles usus non sunt applicanda; Ratio est: quia reverentia rebus sacris debita postulat, ut quæ spiritualibus usibus perpetuò sunt applicata, in sacri Ministerii contemptum ad profanos usus non transferantur. *Can. nulli. 3. caus. 12. q. 2. cap. ad hac. 4. de religios. domib.*

Quæres secundo. Quæ ex Regula consequuntur?

ꝛ. Deducuntur ex ea sequentia: Primo Sacri Calices, Patenæ, Pallæ, Corporalia, Purificatoria, quæ Sacratissimum CHRISTI CORPUS in Sacramento Altaris proximè attingunt, munda & nitida semper conservari de-

bent: nimis enim videtur absurdum, in Sacris sordes negligere, quæ dedecere etiam in profanis. *Cap. relinqui. 2. de custod. Eucharistia.*

Secundo. Eadem Sacra Vasa à laicis, fœminis &c. non sunt attingenda. *Can. sacratas. 25. dist. 23. Can. in sancta. 41. de consecrat. dist. 1.* imò juxta modernam Ecclesiæ consuetudinem: similia Sacra Vasa attingi non possunt etiam à Clericis, nisi Subdiaconatus Ordine fuerint initiati; quamvis antiquius juxta *Can. non liceat. 33. dist. 23.* Acolytho dicta Sacra Vasa attingere licebat.

Tertio. Episcopus Calicem in scio vel invito domino consecrans non Calicem sed solum pretium restituere tenetur. *Can. comperimus. 2. caus. 14. quest. 6.*

Quarto. Cadavera Laicorum indumentis Altaris vel Ecclesiæ involvi non debent, nec talia indumenta ad actus concedi profanos. *Can. nemo. 40. Can. ad nuptiarum. 43. de consecrat. dist. 1.*

Quinto.




Quinto. Ligna & lapides collapsæ Ecclesiæ non ædificio vel operi profano, sed Ecclesiæ aut alteri loco sacro applicari vel igne concremari debent. *Can. ligna 38. de consecrat. dist. 1.*

Quæres tertio. Quæ Regulæ exceptiones?

1. Imo. Regula non tenet in rebus animatis quavis DEO consecratis. Sic servus, qui domino invito Minores, aut unum etiam ex S. Ordinibus sulce-

pit, domino est restituendus. *Can. ex antiquis. 9. can. frequens. 10. dist. 54. cap. de servorum. 2. de servis non ordinand.*

Secundo. In necessitate ad Redemptionem captivorum, aut ingentia Ecclesiæ debita diluenda Calices aliaque sacra etiam Laicis, dummodo prius confracta sint aut diminuta, vendi possunt. *Can. ea enim. 2. caus. 10. q. 2.*



## REGULA LII.

*Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum.*

Quæres primo. Quis hujus Regulæ sensus?

1. Actus, qui de Jure nullus, ideoque omni caret effectu, alteri actui, quominus valeat, non est impedimento. Ratio est: quia quod nullum est, nullum producit effectum, & aliquid esse nullum, esse sine effectu, non fieri, & effectum non sortiri paria esse nocentur.

Quæres secundo. Quæ Regulæ exempla?

1. Sequentia: 1. mo. Quod quis invalidè suscepit baptismum, nihil obstat, quod iterato baptizari valeat. *Can. quos à Paganis. 51. de consecrat. dist. 4. cap. 1. de Presbyt. non baptiz.*

2. do. Titius in prohibito gradu con-

*R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.*

traxit matrimonium: puellæ nondum septenni futuras promisit nuptias, hi Contractus cum sint de Jure invalidi, non obstant, quin cum alia matrimonium vel sponsalia contrahere possit. *Can. 1. caus. 31. q. 2. cap. literas. 4. cap. accessit. 5. de desponsat. impub.*

3. io. Publicato electionis Scrutinio apparuit, quod suffragia eligentium indignum concordaverint, & ideo novum inchoatur Scrutinium, ex quo sequitur concors digni electio: hæc subsistit, quia præcedens Scrutinium invalidum fuit, nec ad electionis effectum est productum. *cap. perpetuo. 7. de elect. in 6. Secus foret, si ex Scrutinio anteriori effectus electionis fuisset consecutus. Cap. quanquam 18. de elect. in 6.*

T

Tunc



Tunc enim Jus eligendi vel ad superio-  
rem, si omnes nocentes, vel ad inno-  
centes Capitulares foret devolutum,

4<sup>to</sup>. Prius conditum Testamentum  
per secundi inchoationem non infirma-  
tur, si ante secundi perfectionem testa-  
tor è vita decesserit. §. ex eo 7. institut.  
quibus modis testament. infirmant.

Quæres tertio. Quæ Regulæ sunt  
exceptiones ?

2<sup>a</sup>. Sequentes: 1<sup>ma</sup>. Ex matrimo-  
nio rato, quantumvis invalido, dum-  
modò ob alium quàm consensus defe-  
ctum, publicæ honestatis usque ad quat-  
tum gradum dirimens oritur impedi-  
mentum. Cap. 1. de sponsal. in 6. & ita  
matrimonium præstat impedimentum,  
licet de jure non sortiatur effectum.

2<sup>da</sup>. Quando superior ex jure devo-  
luto, v. g. propter negligentiam eli-  
gentium quia per tres menses à die ha-  
bitæ notitia vacationis Prælarum ad Se-  
dem vacantem non elegerunt, Præla-  
tum nominat aut eligit, qui tamen vel  
non consentit, vel ante confirmationem  
renuntiat, aut vita excedit, tunc etsi  
electio ex jure devoluto facta nullum  
sortiatur effectum, attamen superior ad  
novam nominationem vel electionem  
progredi nequit, sed jus eligendi redit

ad Capitulares, qui pro unâ tantùm  
vice illo jure privati fuerunt. Cap. si ele-  
ctio. 26. de elect. in 6. junct. Gloss. v. in-  
tegrum.

3<sup>ta</sup>. Legitima Procuratoris consti-  
tutio prior per secundam alterius ad  
eandem causam constitutionem revo-  
catur, quamvis posterior effectum non  
consequatur, eò quod secundò consti-  
tutus Procuratoris munus suscipere re-  
cusaverat. Cap. non injuste. 14. de pro-  
curator. Gloss. in cap. si duo. 6. de procura-  
tor. in 6. V. simul.

4<sup>ta</sup>. Legatum priori legatario ad-  
emptum censetur, etsi in persona lega-  
tarii secundi non subsistat. L. plane. 34.  
ff. de Legat. & L. licet. 20. ff. de adi-  
mend. legat.

5<sup>ta</sup>. Sacerdos excommunicatus Sa-  
cramentaliter quempiam absolvens ex  
hoc irregularitatem incurrit, quamvis  
ob defectum Jurisdictionis invalida sit,  
nec ullum habeat effectum absolutio.

6<sup>ta</sup> demum. Compromissarius eli-  
gens indignum iteratò eligere nequit,  
licet prima electio invalida omni careat  
effectu: cum suo functus sit officio. Cap.  
si compromissarius. 37. §. si verò. de elect.  
in 6.

## C A S U S.

### Ad utramque Regulam.

**E** *Mereniana* nobilis prosapia Virgo  
ex reverentia parentum timore  
cum *Narcisso* ejusdem nobilitatis ado-

lescente matrimonium invita contrahit.  
(A) Ipsâ nuptiarum nocte profuga ad  
monasterium convolat, ad habitum  
admit-



admitti rogat, & de facto admittitur. (B) Narcissus cum *Emerentianam* violentè extrahere non posset, ejus Sorori matrimonium promittit, si *Emerentiana* professionem faceret, quã professã eandem de facto duxit. (C) *Emerentiana* vix professa ad munus Sacristanæ applicatur, ac rerum Sacrarum custos sedulò officium peragit, purificatoria lavando, calices mundando, paramenta reparando, nova conficiendo, detrita ad alios usus applicando. (D) Unã vice cum Sacerdos casu calicem consecratum evertisset, & species Sacræ tam mappas altaris, quam ejusdem pedem contigissent, quid agendum, nesciebat. (E) Defuncta Monasterii Priorissã inter ceteras in considerationem venit nostra *Emerentiana*, & in primo scrutinio cum divisa essent vota, canonica electio fieri non potuit,

(F) in secundo Scrutinio *Emerentiana* electa consentire in electionem recusavit. (G) Cum igitur convenire non possent, tres compromissarias elegerunt, inter quas *Emerentiana*, (H) quæ Seniorissam quamvis aliàs probissimam, propter senium tamen & continuas infirmitates inhabilem elegerunt, quam ea de causa Superior confirmare noluit: (I) & quia tempus electionis elapsum, ex Jure devoluto nominavit *Emerentianam*, eique sub præcepto obedientiæ injunxit, ut regimen susciperet, (K) quæ deprecata omninò consentire detrectavit, potius eligens carcerem, quàm Priorissæ locum Nominavit ergo aliam, quam Moniales recipere noluerunt, (L) sed concordibus votis aliquam ex alio ejusdem Ordinis monasterio elegerunt. (M)

## RESOLUTIO.

(A) **M**etus matrimonium dirimit, *Cap. cum locum. 14. cap. veniens. 15. cap. consultationi. 28. de Sponsal. sed debet esse talis, qui in constantem virum cadere possit Cap. cum dilectus. 6. de his, quæ vi metusvè causi. qualis non fuit metus purè reverentialis, minis &c. non qualificatus.*

(B) Et si matrimonium validum fuisset, nihilominus *Emerentiana* ante ejus consummationem ad religionem convolare, sacrũque habitum suscipere poterat. *Cap. verum. 2. de convers. conjugat.*

(C) Si ante Sponsalia, vel matri-

monium validum, vel etiam invalidum ex alio capite quàm ex defectu consensus cum *Emerentiana* Narcissus contraxerat, erat in eo publicæ honestatis impedimentum. *Cap. Sponsam. 8. de Sponsal. cap. unic. eod. in 6.* Quamvis igitur matrimonium ex alio capite quam ex defectu consensus nullum fuisset, impedimentum tamen præstitisset, contra *Reg. 52.*

(D) Res Sacræ ad usus profanos applicandæ non sunt per *Reg. 51. & cap. conquestus 16. de for. compet. cap. ad hac. 4. de religio. domib.* Oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta Sacra mun-



da & nitida conservari debent, nimis enim videtur absurdum in Sacris sordes negligere, quæ dedecent etiam in profanis. *Cap. relinqui cu.*

(E) Hoc casu mappæ altaris lavandæ, & aqua in Sacratium fundenda erat. *Rubrica Missal.*

(F) In electione Monialium, si vota sint discordia, & nulla duas tertias habeat, minor pars ad majorem accedere potest. *Cap. indemnitatibus. 43. §. sanè. de elect. in 6.*

(G) Electæ consensus intra octiduum est requirendus, qui habitæ electionis notitiâ intra mensem est præstandus. *Cap. cupientes. 16. de elect. in 6.* Electæ consensum præstare nolente electores ad novam electionem procedere possunt. *Cap. si electio. 26. de elect. in 6.*

(H) Compromissum omnibus consentientibus fieri debet per *Regul. Juris. 29. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*


(I) Rejeçtâ à Superiore per Compro-

missarias electâ Jus eligendi ad Capitulum devolvebatur. *Cap. si Compromissarium. 37. §. si verò. de elect. in 6.*

(K) Si Compromissariæ ante evolutum trium mensium terminum non elegissent, Jus eligendi ad Superiorem devolutum esset, aliàs non *Cu. cap. Si compromissarium.*

(L) Invita cogi non poterat. *Arg. cap. si sibi. 17. de præbend. in 6.* Si Jus ad Superiorem devolutum, recusante *Emerentianâ* semel nominatâ, Superior aliam secundò nominare non poterat: quia pro una solùm vice Jus nominandi ad Superiorem devolvitur, quo indignam vel recusantem nominante Jus eligendi redit ad Capitulum. *Cap. ne pro defectu. 41. de electione. junct. Gloss. V. eâ vice. Arg. cap. cum Wintonensis. 25. de elect.*

(M) Ex alio ejusdem Ordinis monasterio, dummodò requisitis non careret, eligendi habebant potestatem.



## REGULA LIII.

*Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus.*

**Q**Uæres primo. Quis hujus Regulæ sensus?

**R.** Cui licet, quod est plus sive majus, licet etiam, quod est minus, & econtra, cui non licet, quod est minus, etiam, quod est plus sive majus,

non licet. Ratio est: quia minus plerumque sub majori continetur.

Exempla sunt **imo.** Sacerdoti in missæ Sacrificio corpus & Sanguinem Christi conficere licet, quod majus est, ergo etiam in fine missæ populum benedicere



dicere licet, quod minus est. *Can. ecce. 6. dist. 95. 2do.* Cui cura animarum est commissa, etiam rerum ecclesiasticarum administratio concedi potest; si enim animæ hominum pretiosiores illi sint creditæ, multò magis oportet eum coram pecuniarum gerere. *Can. precipimus. 24. caus. 12. q. 1. 3to.* Si monasterio decimæ in parochia per unionem incorporata per privilegium sunt concessæ, ex eo decimæ novalium concessæ quoque intelliguntur. *Cap. ex parte. 27. de decimis. 4to.* Qui nequit à venialibus, à mortalibus etiam absolvere nequit. Qui Clericum Clerici percussorem ab excommunicatione absolvere non potest, cum eodem ad usum ordinum dispensandi caret facultate; cum majora intelligantur illis prohibita: quibus vetita sunt minora. *Cap. cum illorum. 32. de Sentent. excomm.*

Quæres secundo. Quæ Regulæ limitationes?

1. Tres sequentes: 1ma. Si plus & minus diversi sunt ordinis, tunc ex concessione majoris minoris non infertur

concessio: ut cui criminalium commissæ est cognitio, ex hoc non sequitur, quod civilium quoque causarum commissio delata sit. *L. solemus. 61. ff. de Judicis.*

2da. Cessat Regula, si in utroque majori & majori ratio non sit eadem; ut: si Episcopus ad majorem videl. Metropolitanam Ecclesiam transeundi acceperit facultatem. *Cap. 1. & fin. de transl. Episcopor. junct. Gloss. V. ad partem.* in torneamento vel duello occumbenti quamvis poscenti pœnitentia non negetur, ecclesiasticâ tamen caret sepultura. *Cap. 1. de torneamentis.*

3tia. Non tenet Regula majoris ad minus, si specialis Juris obstat dispositio. Sic Sacerdoti sacrificanti Eucharistiæ sub utraque, non tamen sub una specie, quod est minus concessa est sumptio. *Can. comperimus. 12. de consecrat. dist. 2.* Gratiam ad majus obtinens beneficium, vi illius minus obtinere nequit. *Cap. cui non de Sacerdotali. 27. de prebend. in 6.*



## REGULA LIV.

*Qui prior est tempore potior est jure*

Quæres. primò Quis hujus Regulæ sensus?

1. Quando duo in Jure pares, quis eorum sit præferendus, contendunt, ille præfertur, cujus Jus antiquius esse

constat. Exempla sunt 1mo, Dum quæritur, quis prius instrumentum subscribere debeat, ille præponitur, qui prior est ordinatus. *Can. fin. dist. 17. 2do.* In Capitulo vel Choro qui senior est

T 3 Cano-



Canonicus, priorem habet sessionem. *Cap. 1. de majorit. & obedient. 310.* Cum duo gratiam expectativam habent, illi prius providendum, qui prior gratiam impetravit, *Cap. eum, cui. 7. de prebend. in 6.*

Quæres 2do. Quæ sunt Regulae limitationes?

1<sup>a</sup>. Sequentes: 1<sup>ma</sup>. Regula non tenet in actibus, qui ab unius dependent voluntate, ut sunt leges, testamenta, in quibus posterius derogat priori, & constitutio posterior revocat anteriorem. *L. sed & posteriores 28. ff. de legib. cap. 1. de constitut. in 6.* per testamentum posterius tollitur & rumpitur testamentum prius. §. *posteriore. 2. institut. quibus mod. testament. infirmant.*

2<sup>da</sup>. Non valet Regula, quando duo à priori pacto recesserunt, & novam pactioem de mutuo consensu incurrunt; tunc enim non prius, sed no-

vissimum pactum obtinebit. *L. pacta 12. C. de pact.*

3<sup>ta</sup>. Cessat Regula in Privilegiis, ex quibus unum ob causam magis privilegiatam altero favorabilius est: tunc enim non ex tempore, sed ex causa sunt æstimanda. *L. privilegia. 32. ff. de reb. authorit. Judic. possidend.*

4<sup>ta</sup>. Ratione temporis non datur præferentia, quando jus ab utraque parte non est æquale: ideo in eadem re diversis temporibus pluribus vendita & is præferendus est, cui prius vendita: Si autem utrique successivè tradita, ille præferendus, cui prius tradita: si uni prius vendita, & alteri postmodum vendita & tradita, ille, cui vendita & tradita, quamvis sit posterior, est præferendus.

5<sup>ta</sup>. In judiciis reus vel possessor præferendus est actori, nec tanta est prærogativa temporis, quanta est ratio possessionis.

## C A S U S.

### Ad utramque Regulam.

**F**lorida undecim annorum puella Titio ejusdem ætatis Juveni matrimonium promittit. (A) Anno ætatis duodecimo Cajo sexdecim annorum adolescenti similiter matrimonium promittit (B) quem cum postea averfaretur, cum Sempronio decimum quartum ætatis annum attingente per verba de præfenti matrimonium inquit (C) Cajo ante consummatum cum Sempro-

nio motrimonium Floridam Monasterio includi facit, cuius institutum illa perhorrescens aufugit: (D) cumque ad matrimonium cum Sempronio consummationem non multùm afficeretur, eque Cajum aut alium ducere postet, cum simplici castitatis voto in sæculo sub habitu religioso manere prælegit, ex Regula: *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus.* (E) Huic proposi-



to sese opponens Sempronius ordinarium interpellat, ut *Florida* matrimonium consummare vel Monasterium ingredi compellat. (F) *Floridam* ad Legatum Apostolicum, & illo gravan-

te ad Summum Pontificem confugit. (G) Ordinarius, cum causa apud illum præventa, *Florida* excommunicationem minatur, quâ eam in contumacia persistentem de facto perstringit. (H)

## RESOLUTIO.

(A) Sponsalia in ætate impuberi post completum septennium contracta valida sunt, & impedimentum publicæ honestatis inducunt. *Cap. licet 4. cap. accessit. 5. de desponsat impuber.*

(B) Impuberes, qui sponsalia post septennium contraxerunt, si ad annos pubertatis pervenerint, rescilire possunt. *Cap. à nobis. 8. de desponsat. impuber.* Ideoque non tenet hîc Regula. *Qui prior est tempore, potior est jure.* Licet enim prior Titius cum *Florida* contraxerit sponsalia, quia tamen illa ob infirmitatem ætatis infirma, ea tumpere, & cum *Cajo* nova sponsalia contrahere poterat *Florida*, pubertatis annos jam adeptâ.

(C) Hic iterum fallit *Regula 45.* Quia matrimonium tempore posterius priora dissolvit sponsalia. *Cap. si inter. 31. de sponsal.*

(D) Quanquam *Florida* ob fractam *Cajo* sponsalitiâ fidem punienda esset, per *Cajum* tamen à *Sempronio* jam vero marito separari nequibat, & licet ipsa ad Monasterium liberè confugere vale-

bat, invita tamen eidem includi non debebat.

(E) Regula: *Cui licet, quod est plus, licet utique, quod est minus,* hic non quadrat: quia illud plus est diversæ rationis ab eo, quod est minus. Professio religiosa ratum dissolvit matrimonium, simplex castitatis votum illud non dissolvit; unde quamvis Sponsa ante matrimonii consummationem Sponsio invito religionem intrare possit, castitatem tamen in Sponsi præjudicium in sæculo vivere nequit.

(F) Ordinarius *Floridam* termino ad consummationem matrimonii, vel religionis ingressum designato compellere debet. *Cap. ex publico 7. de convers. conjugat.*

(G) Ordinario primæ jus instantiæ competit: ideoque *Florida* nondum gravata ab eodem ad Legatum recurrere non poterat, maximè cum causa apud Ordinarium præventa, per *Regulam 45.*

(H) Quapropter justè excommunicabatur; nisi ab excommunicationis comminatione legaliter appellasset.



R E-



REGULA LV.

*Qui sentit onus sentire debet commodum & econtra.*

**Q**uæres primo. Quis primæ partis hujus Regulæ sensus?

**R.** Qui onera, damna, & incommoda rei vel actionis sustert, ad eum etiam cum re connexa, vel ex ea provenientia comoda & emolumenta pertinere debent. Ratio est: quia nemo facile reperitur, qui taceat onus, si illud spe commodi & emolumenti non compensetur: adeo, ut etiam magnus ille *Apostolus* ad sufferenda patienter adversa pro CHRISTI Nomine præmii spe fideles animare non erubescat: *sicut enim Socii passionum estis, inquit, sic eritis & consolationis.* 2. Cor. 1.

Quæres secundo. Quæ hujus Regulæ Exempla?

**R.** Sequentia: 1mo, Monasterium, in quod Clericus propter incontinentiam ad pœnitendum est inclusus, sicut habet onus Clericum alimentandi, ita ex illatis Clerici bonis sentire debet subsidium. *Can. de lapsis. 5. caus. 16. q. 6.*

2do. Parochus Parochianis Sacramenta administrandi, & officia divina celebrandi onus sustinet, & ideo eum gaudere oportet congruæ & Canonice portionis emolumento. *Cap. 1. & cap. certificari. 9. de sepultur.*

3tio. Emptor, qui emptione perfecta, licet res empta nondum fuerit tradita, rei emptæ sustinet periculum, ita in illius compensationem fructus & incrementum rei ex alluvione aut pretii augmento proveniens justè acquirit. *L. 1. C. de pericul. & commod. rei vend.*

4to. Ulufructuario arbores emortue cedunt, quia loco earum aliàs substituire est obligatus. *L. agri 18. ff. de usufr.*

5to. Demum in Contractu Societatis, quamvis non fuerit expressum, tacite tamen censetur conventum, ut qui plus æris vel periculi in Societate sustinet, plus etiam lucri capiat.

Quæres tertio. Quæ hujus partis limitatio?

**R.** Regula non tenet, si onus ex sua institutione vel speciali juris dispositione officio vel comodo est annexum. Exemplum est: Capitulum Sede vacante Jurisdictionem & Episcopales exercet functiones, & tamen pro hoc onere non sentit commodum ex mensæ Episcopalis fructibus; hi enim Ecclesiæ & in Cathedra Successori reservandi sunt.

Quæres quarto. Quis secundæ partis Regulæ sensus?

**R.** Qui rei cujusdam vel actionis emolu-



emolumenta, & ex ea convenientia percipit commoda, eum quoque onera vel annexa rei incommoda sufferre oportet. Exempla sunt; Beneficiato non residenti nec officium exercenti fructus & beneficii negantur redditus. *Trid. Sess. 24. de reform. cap. 12.* cum beneficium datur propter officium. *Cap. fin. de rescript. in 6. do.* Si Ecclesia collapsa, nec eidem redditus, ex quibus reedificari valeat, suppetant, Rector Ecclesie omnesque in ea beneficiati ad reedificationem concurrere debent. *Cap. 1. de Eccles. aedificand.* Quia enim omnes illi commodum in Ecclesia habent, onus quoque conservationis & reedificationis ab eis est sustinendum. *3tio* Legato censetur indignus, qui onus Legatarii à testatore impositum subire

recusat. *L. quamvis. 10. ff. de damno infect.*

Quæres quinto. Quæ hujus partis limitatio?

1. Qui sentit commodum, onus sentire non debet, quando ejus ferendi incapax est, vel Jus eum ab onere specialiter deobligat. *Sic 1mo.* Beneficiatus infirmus redditus officii percipiendo commodum sentit, & tamen ab onere officii liber existit. *Can. 1. caus. 7. q. 1. de Cleric. agrotante. 2do.* Maritus dotem lucratur, quamvis uxorem adulteram sustentare non teneatur. *Cap. plerumque. 4. de donat. inter vir. & uxor. 3tio.* Legatarius ex legato sibi relicto commodum habet, & tamen hæreditatis onera sustinere, vel debita solvere non obligatur.



## REGULA LVI.

*In re communi potior est conditio prohibentis.*

Quæres primo. Quot simpliciter res pluribus potest esse communis?

1. Dupliciter. Vel est communis ut singulis, sive pertinet ad singulos distributive sumptos, vel est communis pluribus, ut Collegio, sive pertinet ad plures collectivè seu collegialiter acceptos. In primo sensu præsentem Regulam procedere affirmamus.

Quæres secundo. Quis Regulæ sentis?

1. Quando res ad duos vel plures  
*R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.*

ut singulos spectat, & de ea reparanda destruenda, aut aliquo circa eam faciendo agitur, quod singulorum interest, id ipsum vel unius impedire potest contradictio. Ratio est; quia nullus invito suo Jure est privandus, nec ulli facto alieno inferendum est præjudicium, quod profectò contingeret, si socio vel sociis uno ex sociis invito rem alienare, vendere vel destruere liceret.

Exempla sunt 1mo. Contracto & con-

V

con-



consummato matrimonio una conjux alterâ invitâ ad religionem convolare nequit. *Cap. quidam. 3. Cap. placet. 12. de convers. conjugat. 2do.* In electione Prælati, si unicus Capitularium contradicat, ne per compromissum instituat electio, vel ad eam extraneus admittatur, nec viâ compromissi electio celebranda, nec votum extraneo est deferendum: quia quod omnes tangit, ab omnibus est approbandum. *3tio.* Si paries duobus vicinis sit communis, unus illorum altero invito parietem destruere non potest: quia non solus Dominus est. *L. parietem. 8. ff. de servitutib. prædior. urban.*

Quæres tertio. Quæ sunt Regulæ limitationes?

*1a.* Sequentes. *1ma.* Unus socius circa rem communem altero invito aliquid facere potest, si per illud socius non lædatur; ita parietem duobus vicinis communem quilibet à parte sua incrustat, picturis ornare &c. valet. *L. quidam. 13. ff. de servitut. prædior. urban.* quilibet enim pati debet, quod sibi non nocet, & alteri prodest.

*2da.* Unus socius altero invito re communi eo usu, ad quem res illa deputata est, utendi habet Jus; ut: duo commune habent sepulchrum, unus altero invito suum defunctum in illo tumulare potest. *L. si plures. 41. ff. de religio. & sumptib. funer.*

*3tia.* Si necessitas postulat, unus socius altero invito rem communem conservare potest, & quidem communibus sumptibus, ut trabem in murum immittendo, tectum ruinosa domus reficiendo &c.

*4ta.* Quando Jus pluribus commune, vel potius Juris communis exercitium in bonum vel utilitatem tertii principaliter est ordinatum, melior est plurium consentientium, quàm unius vel paucorum dissentientium aut contradicentium conditio; Sic quando Jus patronatûs sive Jus præsentandi Clericum ad Ecclesiam vel beneficium vacans pluribus compatronis ut singulis competit, prævalet major in unam personam præsentandam pars consentientium. *Cap. quoniam. 3. de Jure patron.* quia Jus patronatûs vel præsentatio non Patronum sed Ecclesiæ utilitatem, & animarum respicit salutem.

*5ta.* Quando de rebus, quæ plures ut singulos concernunt, cum præjudicio singulorum aliquid decernitur, in bonum tamen communitatis, cujus singuli membra existunt, consensus plurium prævalet contradictioni paucorum; ita quamvis fructus præbendarum ad Canonicos ut singulos spectent, in casu tamen, quo agitur de Ecclesiæ ruinam minantis reparatione prævalet major pars, quæ partem reddituum præbendarum ad necessariam Ecclesiæ re-staurationem decernit esse applicandam. *Cap. fin. de his, quæ sunt à major. part. &c.*

*6ta.* Fiscus speciale obtinet privilegium, quod rem cum privato habeat communem, eam socio invito, ut pluri illam vendat, totam distrahere valeat. *L. multum. 2. C. de commun. rev. alienat. L. unic. C. de vendit. rerum fiscal. cum privat. commun.*

*7tima.*



71ma. In favorem libertatis statutum est, ut servus duobus communis ab uno manumissus libertatem conle-

quatur. L. 1. C. de communi servo, manumiss.

CASUS.

Ad utramque Regulam.

**G**udula matrimonium contrahit cum Dejecto. In pactis dotalibus omnia communia fecerunt. Gudula cum Dejecto nihil ad commune conferre, sed plus indies contumere videret, eum deserere, & ad monasterium convolare resolvit. (A) Cum autem post matrimonii consummationem absque Dejecti consensu recipi non posset, ab incepto destitit, & quia maritum ex bonis suis alebat, condit testamentum, in

quo omnia bona sua tam patrimonialia, quam acquisita ad pias causas applicat. Dejectus opponit, quod in re communi potior sit conditio prohibentis; Gudula excipit, quidquid acquisitum ad se pertinere, propria sua bona esse, cum Dejectus nihil contulerit, nec quod a Gudula collatum, augmentarit, sed ex parte consumpserit; ideo prevalere Regulam: Qui sentit onus sentire debet commodum.

RESOLUTIO.

(A) **P**ost matrimonium consummatum Gudula ad monasterium convolare non poterat, per Reg. 56.

(B) Si Dejectus nec bona nec industriam ad commune contulit, ea quæ a

Gudula acquisita, non sunt bona communia ad Societatem pertinentia, unde & de illis vel inter vivos, vel per testamentum liberam habet disponendi facultatem.



REGULA LVII.

Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.

**Q**uæres primo, Quis hujus Regulæ sensus?

R. Verba dubia legis, contractûs; vel dispositionis contra proferentem, five

V 2



sive eum, à quo dicta aut scripta nolumur, sunt interpretanda, isque sibi imputet, quod cum facillè potuisset, apertius tamen locutus non fuerit, & intentionem vel obligationem, quam alteri imponere voluit, clariùs non expresserit. Exemplum est in *Cap. in praesentia. 8. de probat.* ubi quidam professionem suam invalidare volebat ex eo, quod in minori ætate eam emisisset; Verba illa: *in minori ætate*, erant dubia, an in minori ætate infra 14. annos, an verò in minori ætate infra 25. annos significarent: & deciditur esse interpretanda contra proferentem, quod nimirum in minori ætate infra 25. annos professionem fecisset.

Quæres secundo. Quæ Regulae limitationes?

1. Regula non tenet 1<sup>mo</sup>, quando ex eo, quod actum est, aut aliunde de mente proferentis certò aut verisimiliter constat. 2<sup>do</sup>. Si interpretatione contra proferentem facta nulla redderetur dispositio: interpretatio enim ita facienda est, ut potius valeat, quam peccat dispositio. *L. quoties. 12 ff. de rebus dubiis. 310.* Si interpretatio contra proferentem facta peccatum involveret. 4<sup>to</sup>. Quando in votis dubia est rei promissæ quantitas, vovens non ad majorem, sed ad minorem duntaxat partem est astringendus, *Cap. ex parte. 18. de censib.*

## REGULA LVIII.

*Non est obligatorium contra bonos mores præstitum  
Juramentum.*

Quæres Quis hujus Regulae sensus?

1. Juramentum, quo Jure illicitum & inhonestum promittitur, vel is, cui præstatur, ad liberius peccandum inducitur, invalidum est, & nullam inducit obligationem. Exempla sunt 1<sup>mo</sup>. Si quis rem suam apud tertium adjecto deposuit Juramento, quod, quamvis depositarius re abuteretur, remque dolosè destrueret, actione tamen depositi

contra eum agere nollit, Juramento non tenetur, eò quod ad peccandum inducat depositarium. 2<sup>do</sup>. Qui patrem suum occisurum, aut si eum non occideret, alteri centum se numeraturum juravit, in casu quo non occidit, centum solvere non obligatur. 3<sup>io</sup>. In *Capitul. quintavallis. 23. de Jurjur.* inter quasdam vicinas jurgia verfabantur: maritus unius Juratò promisit, quod si adhuc semel à sua uxore



uxore & filiabus injuriarentur, illis, rem repudiaret, filiasque ex hæredaret: quamcunque peterent, dare vellet satisfactionem, & illæ petiverunt, ut uxorem ad quod, cum Juramentum sit illicitum, obligari non poterat.

## C A S U S.

### *Ad utramque Regulam.*

**H**umberta juvenis vix ad matrimonium apta puella à parentibus egenis importunis precibus & largitionibus inducitur Titio hæretico nubit, [A] hac conditione, ut si proles acciperent si ve non, Humberta in omnia Titii bona succederet, proles autem in paterna educarentur scæta: (B) quod ab utraque parte juratum. (C) Matrimonio contracto Humberta prolem tantum genuit fœmellam, quam Titius scholas hæreticas frequentare jubet. Humberta opponit, quod verba illa de educatione prolium juxta morem patræ de proli- bus masculinis intelligenda sint: (D)

& cum durius haberetur, cum prole sua abscedit, eligens potius mendicare, quam proles pati perversionem. (E) Consultuit autem Theologum, an valorem matrimonii impugnare possit, eò quod sufficientem libertatem non habuisset: (F) quod in minori ætate contraxisset: [G] quod contraxisset cum conditione vel modo bono matrimonii & honestæ proles educationi advertante: (H) aut an Titius per dominum territorialem, ut Filiam Catholicè educari permittat, seque in conjugem recipiat, cogi valeat. (I)

## R E S O L U T I O.

(A) **M**atrimonium validum, sed illicitum est; validum, quia importunæ preces & largitiones excessivæ contensûs non vitiant libertatem; illicitum est: quia cum periculo perversionis proles contrahitur, & Sacramentum matrimonii indignè administratur, cum hæreticus illud dignè suscipere non possit.

(B) **C**onditio turpis erat contra finem matrimonii. *Cap. fin. de condit. apposis.*

(C) **J**uramentum quoque per Regulam 58. non tenebat.

(D) **H**umberta sese opponere obligabatur, & pro se Regulam 57. adferre poterat, quia enim omnes proles non expresserant, verba juxta patriæ consuetudinem accipienda erant.

(E) **A** marito recedere poterat & debebat, cum ipsi amplius absque injuria Creatoris cohabitare nequiret. *Cap. quasruis. 2. de divort.*

(F) **E**x illo capite valorem matrimonii



monii impugnare non poterat: non enim metu, sed precibus & largitionibus, quæ voluntariè non contrariantur, inducta erat.

(G) Nec ætas oberat, quia ex consummato matrimonio prolem suscepit, quæ capacitatem ad matrimonium probabat.

(H) Si in ipsa matrimonii celebratione conditio apposta fuisset, hæc

istius valorem impedivisset. *Civ. cap. fin. de condit. appost.* Secus si interposita dotalia matrimonium antecedentia, de religione, in qua proles educanda, convenissent.

(I) Maritus etiam auxilio brachii sæcularis omninò cogendus erat, ut uxorem reciperet, prolemque in religione Catholica educati permitteret.



## REGULA LIX.

*Dolo facit qui petit, quod restituere oportet eundem.*

**Q**uæres primo. Quis hujus Regulæ sensus?

ꝛ. Qui ab altero petit id, quod eundem mox restituere debet dolo facere, & alterum defraudare velle præsumitur. Ratio est: quia bona fides adesse non potest, cum illud, quod petitum, statim restituendum. Præterea lex & natura inutilem abhorret circuitum, ut fiat pluribus, quod paucioribus expediri potest. *Arg. L. 1. C. ne uxor. pro marito Sc.* Exempla sunt 1mo. Fœneratori promissas usuras exigenti opponitur exceptio, quod usuras exactas statim restituere teneatur. *Cap. cum tu. s. cap. suas. 13. de usur.* 2do. Marito dotem à Socero promissam post mortem uxoris postulanti doli objicitur exceptio, eò quod soluto per mortem matrimonio

dotem receptam mox restituere obligetur. *L. apud Celsum. 4. §. apud Julianum. ff. de doli mali Sc. metus except.*

Quæres secundo. Quæ hujus Regulæ exceptiones?

ꝛ. Sequentes. 1mo. Non tenet Regula, quando non eidem, sed tertio facienda est restitutio. Sic Commodatarius rem sibi commodatam & à fure ablatam ab eodem justè reperit, eò quod res commodanti ejus domino sit restituenda. 2do. Fallit Regula, si non statim, sed post temporis intervallum facienda sit restitutio; ut Pater à filia sua Titii uxore hæres est institutus, & rogatus, ut hæritatem post mortem suam nepoti testatricis Titii filio restituat: in quo casu Pater in petitione hæreditatis filia suæ doli exceptione repellitur.



quit: quia non statim, sed post mortem suam hæreditatem restituere obligatur. 3tio. Non tenet in depositi Contractu; deponenti quippe rem suam eandemque repetenti nulla compensatio, deductio &c. in rei dominio non fundata opponi potest: ideo si de-

ponens pecuniam depositam à depositario repetat, quamvis deponens ex emptione ædium depositario factus fuerit debitor, depositarius tamen doli opponere nequit exceptionem. L. si quis. 1. 1. C. depositi.



## REGULA LX.

*Non est in mora, qui potest exceptione legitimâ se tueri.*

**Q**uæres primo. Quis in mora esse dicitur?

R. Qui cum sciat, aut facillè scire possit, & deberet, quod debitor existat, nihilominus ab homine vel Jure interpellatus non solvit, aut, quod debet, præstare omittit.

Quæres secundo. Quis hujus Regulae sensus?

R. Non est in mora, à quo solutio aut rei cujusdam præstatio jure peti nequit, vel petenti legitima, hoc est talis, quæ à potiore, per replicationem elidi non potest. opponi valet exceptio. Ratio est: quia qui debitum præstare non

obligatur, aut etiam contra exigentem legaliter se defendere potest, si non præstet, quod prætenditur debitum, non est in culpa, consequenter nec in mora, cum mora delictum, dolum, vel culpam præsupponat. L. quod te. 5. ff. de reb. credit.

Quæres tertio. Quæ sunt à mora excusantes legitimæ exceptiones?

R. Sunt doli mali, metûs, jurisjurandi, quod debitum non sit liquidum, quod Contractus à petitore non sit impletus, quod tempus solutionis nondum advenerit, quod compensatio facta, quod solutio sit impossibilis &c. legitimæ exceptiones.

## C A S U S.

*Ad utramque Regulam.*

**J**ustina Filia nobilis, postquam cum Carholico matrimonium contraxerat, Capitaneo Borussico, ut dicebat, post annum literas Capitaneo à sua uxore

re



re in Borussia residente scriptas intercipit, & aufugit. (A) Capitaneus apud Ordinarium uxorem repetit, seque spoliatum ante omnia restituendum esse sustinet. (B) *Justina* ligaminis opponit impedimentum; excipit Capitaneus hoc pertinere ad petitorium, ante omnia restituendam uxorem, & si quid illa contra suam personam habeat, illud postea proponendum. (C) Ordinarius *Justina* sub pœna excommunicationis reditum ad virum præcipit. (D) Illa moras nectit, usque dum è Borussia de vi-

vente adhuc uxore certiorata: ideoque excommunicatur. (E) Ex Borussia nuncium accipit, quod nota sit literarum manus, & ipsa sit uxor Capitanei: sed cum plene probari non posset, & Capitaneus omnis generis exceptiones opponeret, Ordinarius iteratò imponit, ut *Justina* Capitaneo convivat, usque dum melius probare possit. Cujus Decreti executionem cum Ordinarius minitaretur, *Justina* ad consilium Confessarii aufugit.

## RESOLUTIO.

(A) *Justina* ex literis de impedimento ligaminis edocta debitum petere non poterat; *cap. literas. 13. de restitut. spoliat.* & quia Capitaneus bonæ fidei possessionem non habebat, nec debitum reddere licebat, ad quod ne cogeretur, aufugere debebat.

(B) Capitaneus dolo facit, dum petit quod cum restituere oportet. Interim in foro externo pro se habet. *Cap. ex conquestione 10. de restitut. spoliat.*

(C) *Ex cit. cap. ex conquestione.* Uxor primùm restituenda est: verùm *ex cap. 1. de ordin. cognit.* prius, an prima Capitanei uxor viveret, examinandum erat. Quæ jura in speciem contraria concordantur in *cit. cap. literas. de restit. spoliat.* quod nempe *cap. ex conquestione. de possessorio, & cap. 1. de ordin. cognit. de petitorio* sit intelligendum.

(D) Si *Justina* paratas in continenti

probationes offerre poterat, in domum viri, sed non ad Thorum aut debitum matrimoniale restituenda erat. *Cit. cap. literas.*

(E) Quamvis *Justina* reverà in mora non sit, quia tamen præcedentem Capitanei uxorem adhuc vivere in continenti probare nequit, si mandato ordinarii parere, & ad virum redire renuit, excommunicanda erat: excommunicationis nihilominus sententiam, thori negando consortium, donec paratas offerat probationes, humiliter tolerare debebat. *Cit. cap. literas.*

(F) Nullum aliud *Justina* quàm fugæ suppeditabat remedium, nisi tanta viri probaretur sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri; tunc enim non solum non debet restitui, sed ab eo potius amoveri. *Cit. cap. literas.*

R E-



REGULA LXI.

*Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.*

**Q**uæres. Quis hujus Regulæ sensus ?

**R.** Quod alicui velut favor, gratia, & beneficium conceditur, non est sinistra eò trahendum interpretatione, ut in onus, incommodum cedat & detrimentum. Ratio est: quia datum ad unum effectum, in contrarium retorqueri non debet: quod fieret, si gratiam & favorem in onus & odium cedere permitteretur.

Exempla sunt: 1<sup>mo</sup>. Antiquitus annus novitiatus tam in favorem Novitii quam monasterii fuit indultus: ideòque si quis de consensu Capituli in ordine non mendicantium ante novitiatus complementum professionem emittebat, valida erat professio, ne illud, quod à Jure in favorem erat introdu-

ctum, cederet in gravamen. *Cap. ad Apostolicam. 16. de Regular.* Modò completus Novitiatus annus ad substantiam pertinet professionis, ut ex universali liquet Tridentini Sanctione. 2<sup>do</sup>. In *Can. charitatem. 45. caus. 12. q. 2.* statuitur, quod datus Ecclesiæ Oeconomus pro inventarii confectione nihil sibi tollere vel reservare debeat, ne favore Ecclesiæ introducta eidem damnosa sit inventarii confectio. 3<sup>tio</sup>. Minor ætate in Spiritualibus pro majore habetur. *Cap. fin. de judic. in 6.* attamen si in beneficii renuntiatione minorem lædè contingat, ex beneficio ætate minoribus competente restitutionem in integrum petere potest, ne Juris ille favor, quod in Spiritualibus pro majore habeatur, in gravamen detorqueatur.

REGULA LXII.

*Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regulæ sensus ?

*R. D. Schnorrenberg. in Reg. Jur.*

**R.** Qui bonâ fide consilium dedit, nec reparare damnum, nec sufferre debet

X bet



bet incommodum, quod ex consilio dato præter intentionem & per accidens est subsecutum. Ratio est: quia nemo acceptum obligatur sequi consilium, sed quilibet prudens, an obsequi consilio expediat, explorare & deliberare potest ac debet: idèoque si damnum ex secuto accepit consilio, illud voluntariè est passus, sibi que imputet, necesse est. Hæc autem notanda venit inter mandatum & consilium differentia: quod mandans per mandatum mandatario imponat obligationem, quapropter mandans mandatarium, si quod incommodum ex mandati incurrat executione, indemnem servare tenetur, cum non proprio, sed principalis nomine mandati fiat executio; ac consulens minime obligat consilio, sed ut dicitur *Can. quisquis. 3. caus. 14. q. 1.* ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi præceptum, necessitas est servientis.

Quæres secundo. In quibus casibus consultor ex consilio obligatur?

32. Cum *Glossa in Regulam præsentem* distinguendo; aut consilium datur circa contractum vel quasi contractum, aut circa maleficium, vel quasi: 1<sup>mo</sup>. Si circa contractum non fraudulentum datur consilium, consulens secundùm Regulam ex consilio non tenetur: 2<sup>do</sup>, si consilium circa contractum fuerit

fraudulentum, ei, cui consuluit, actione de dolo consultor obligatur. Exemplum est in *L. quod si, cum scires. 8. ff. de dolo mal.* ubi hic casus: Titius sciens Cajum non esse solvendo, cui ille summam 100 crediderat, mihi consulit, ut credam Cajo 100. in finem, ut Titius hoc modo sortem creditam recipiat; Titius ob fraudulentum consilium mihi de doli tenetur actione. 3<sup>tio</sup>. Si datur consilium ad maleficium vel quasi, tenetur consultor ex consilio non illi, cui consulit, cum huic injuriam non fecerit, etsi juxta Theologos contra charitatem scandalo directo graviter deliquerit, sed illi contra quem consuluit, non actione de dolo, sed nomine maleficii obligatur; nam si homicidium consuluit homicida, si vero fugam vel furtum consuluit, fur & servi corruptor esse non dubitatur.

Quæres tertio. Quæ Regulæ exceptio?

32. Excipiuntur Assessores Judiciales, Consilarii Principum, advocati, medici confessarii, qui ex imperito tenentur consilio; culpa enim lata dolo æquiparatur: qui autem officium suscipit aut administrat, aut profiretur artem, necessariâ non instructus scientiâ, culpam latam committere dignoscit.

## C A S U S.

### *Ad utramque Regulam.*

**K**lariana ancilla hero suo uxorem seniculam & querulosam habenti dat consilium, ut ei pultem Hispanicam præpararet, (A) à quo per confessarium



rium deterritus exspectare voluit, usque dum per mortem naturalem à malo liberaretur. Interea cum *Kiliana* magis indies familiari herus peccat, quæ se concepisse advertens, magis ac magis eum incitat, ut uxorem occidat, vel ad minus non nimium confortantes medicinas præbeat. (B) hæc si non faceret, abituram se & commissum adulterium propalaturam minatur. (C) Herus ad consilium confessorii, ut *Kilianam* placeret, scripto promittit *1mo*, quod prolem ex adulterio secururam alere, *2do Kilianam*, quamdiu vixerit uxor, velut conjugem tractare, *3tio* uxore mortuâ eam more honesto in facie Ecclesiæ ducere velit. (C) *Kiliana* quia inconstanti hero non fidebat, habito consilio cum Juris consulto petit *1mo*, ut herus prædicta tria juret: *2do*, de quolibet sepa-

ratim det manum suam, ut eò facilius ad omnium promissorum observantiam adigi possit, quæ facit herus. (E) Ast mortuâ post medium annum uxore à prudentiori confessorio instructus *Kilianam* ducere recusat. (F) Quæ iterum convenit, & obtendit factam post mortem uxoris matrimonii promissionem quam per propriam heri manum probat, cujus datum mutaverat Notarius. (G) Herus *1mo* negat se unquam *Kiliana* matrimonium promisisse, cum autem propriâ manu convinceretur, promissionem ante mortem uxoris factam confitetur. (H) At cum propriam allegando turpitudinem scedam ante mortem uxoris datam esse probare non posset, ut *Kilianam* ducat, vel ei mille imperiales solvat, condemnatur. (I)

### RESOLUTIO.

(A) Consilium datum est maleficium, quod si secutum fuisset, *Kiliana* maleficiatæ ad satisfactionem vel restitutionem obligata foret.

(B) Quia homicidium secutum non erat, impedimentum criminis necdum extabat, nec illud ex solo adulterio, conspiratione effectum non habente, ortum habet. Si directè vel indirectè maritus uxorem occidisset ex consilio *Kiliana* herum ducendi intentione, jam ex hoc solo capite, præscindendo ab adulterio, criminis fuisset impedimentum.

(C) Consilium per tales minas factum fraudulentum fuit: idèoque per

Reg. 62. de damnis ex eo hero secutis teneretur.

(D) Consilium confessorii fraudulentum est, quia ex crassa ignorantia datum ad reparationem damnorum inde obvenientium obligat. Ad *1mum* tenebatur herus: per *2dum* in proxima peccandi occasione fovebatur: per *3tium* criminis incurrit impedimentum: quapropter promissio quoad duo extrema illicita erat & invalida.

(E) Consilium Advocati non *Kiliana* sed heri respectu fraudulentum erat, inde consiliarius Advocatus non illi sed huic ad damna secuta obligabatur. Juramentum quoque utpote rei illicitæ valorem non obtinebat. X 2 (F)



(F) Rectè eam ducere recusabat , quia matrimoniali conjunctioni criminis impedimentum obstabat.

(G) Notarius falsarius ad omnia damna hero ex crimine falsi accidentia in *Kiliana* defectu tenebatur.

(H) Exceptio heri, si eam probare po-

tuisset, intentionem *Kiliana* exclusisset.

(I) Cum ergo ipsam probare nequeat, hinc servato Juris ordine justè condemnatur, & quia *Kilianam* sine dispensatione in impedimento criminis ducere non potest, dictatam mulctam solvere obligatur.



## REGULA LXIII.

*Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.*

**Q**uæres primò, Quis hujus Regulæ sensus?

R. Reus actori ad actionem & intentionem ejus elidendam, exceptionem opponens, excipiendo actionem confiteri non censetur. In exemplo res clarior erit. Actor est, qui in Judicio aliquid petit, reus, à quo petitur. Actor petendo actionem instituit, reus excipiendo actionem elidit. Titius à Cajo rem suam velut actor repetit, Cajus excipit se rem illam habere titulo venditionis, donationis, aut permutationis &c. ex hoc tamen Titium actorem rei quæstionatæ dominium aliquando habuisse non confiteretur: idèoque per exceptionem Caji Titius ab onere probandi se rei Dominum fuisse non liberatur. Iterum actor fundum à me titulo rei Judicatæ, titulo dispositionis Testamentariæ &c. exigit; ego Sententiam fuisse nullam, testamentum non subsi-

stere excipio; ex hoc tamen latam esse Sententiam, existere Testamentum non confiteor; idèoque adversarius Sententiæ pronuntiationem & testamenti confessionem probare tenetur. Ratio Regulæ est: quia contra exceptionis foret naturam, ut per quam actoris intentionem elidere volo, illam confitendo corroborem; qua de causa tacitam habet conditionem, si actor suam intentionem ut dominium rei, quod vendicat, Sententiam latam, ex qua rem judicatam petit, testamentum conditum, ex quo hæreditatem postulat, probaverit, ego excipio, quod rem titulo venditionis habeam, quod sententia lata sit nulla, quod Testamentum præsumtum sit ruptum.

Quæres secundo. Quæ ab hac Regulæ exceptio?

R. Excipitur, nisi reus absolute affirmaret. Ut in exemplo: accusatus sum de



de commisso heri homicidio: Excipio, me Petrum quidem occidisse, sed defensionis gratiã cum moderamine inculpatae tutelae. Actor à me petit debitum civile 100 imperial. mutuatorum: ego excipio, me quidem accepisse 100 imperiales, sed jam dudum mutuum

solvisse: tali modo intentionem actoris confiteri, & confessionem exceptioni præmittere, ac consequenter actorem ab onere probandi commissum à me homicidium, me levasse mutuum centum imperialium censeor liberare. *Cap. praeterea. 10. de transact.*

C A S U S.

**L**udgerus Comes ultimus de familia Canonici Metropolitanus in extremis constitutus testamentum condens Ecclesiam suam Metropolitanam in bonis mobilibus & immobilibus allodialibus ex aſſe scripsit hæredem, feudalia agnatis relinquens. (A) Post decennium agnatia Capitulo repetunt villam, eo quod inter feuda paterna numeraretur, & vasa argentea mensæ, domûs Successori relinqui solent. [B] Excipit Capitulum & villam & vasa se titulo dispositionis testamentariæ possidere, nec agnatis jus ad prædicta competere. (C) Agnatis ad tribunal Imperiale Wetzlari confugientibus Capitulum opponit exceptionem fori incom-

petentis. (D) Fundatã fori competentia ratione vasorum argenteorum excipit se ea jam præscripsisse, cum per decennium ipsa sine contradictione possideret. (E) Durante processu Capitulum documenta domus, quæ apud agnatos erant, sibi exhiberi petebant, quod negatunt agnati, cum contra se probationes adducere non tenerentur. (F) Coacti tamen à iudice ipsa exhibuerunt, ex quibus patuit villam quaestionatam inter allodialia numerari: (G) unde à Iudice in expensas condemnati eas Capitulo solvere recusarunt, excipientes se bona fide processisse, ideoque expensas compensandas esse. (H)

R E S O L U T I O.

(A) **T**estamentum Comitis ad piam causam factum sine dubio in utroque fore valorem obtinet. *Arg. cap. cum dilectus. 3. de success. ab intest.* In tantum enim testamentum ad causam piam privilegiatum est, ut manu testatoris scriptum, qualitercunque ultima ejus voluntas appareat, etiam sine ullo teste, qui in eo non sunt de solem-

nitare substantiali, sed solum probatoria, executioni mandari debeat.

(B) Gravis est quaestio, an feudum paternum sine consensu agnatorum praeterim ad causam piam invalidè alienetur, accedente Domini directi voluntate; siquidem Ecclesias aliasque loca pia feudorum capacia esse liquet *ex cap. ex transmissa. & cap. rerum de*



*foro competent.* Feuda autem familiaria extinctâ familia pro cuius conservatione & decore sunt instituta, in Vasallo jus proprietatis fundare videntur, ita ut domino consentiente ea alienandi libertatem habeat potestatem. De valis argenteis certum est, quod licitè & validè in Ecclesiam sint translata; non enim domui materialiter sumptæ, sive lignis & lapidibus, sed familiæ domûs similia pretiosa conservari solent; cum ergo *Ludgerus* eorum proprietatem haberet, & in ipso familia deficeret, cuicumque lubebat, illa dare licebat.

(C) In vim Regulæ, & *cap. venerabilis. 6. de except.* Capitulum possessionem objiciens non intelligitur fuisse confessum, quod dominium ad agnatos pertineat, vel pertinere possit.

(D) Quanquam Vasallus coram domino feudi conveniendus sit, *cap. casorum. 5. de foro compet.* Si tamen actio feudalis cum repetitione vasorum argenteorum conjungebatur, justè Capitulum exceptionem fori in competentis oppotuit, cum hîc utile per inut. le vitaretur.

(E) Res mobiles spatio triennii cum Titulo præscribuntur, *§. jure civili institut. de usu cap.* Capitulum præscriptionis exceptionem opponendo dominium ad agnatos pertinuisse non confitebatur. *Gloss. in Regul. V. exceptionem.*

(F) Rectè instrumentorum editio-

nem petit Capitulum, cum illa Successoribus tam in allodialibus, quàm in feudalibus communia esse debeant. *Arg. cap. contingit. 5. cap. perpetuus. 12. de fide instrum.* Per exceptionem, quod instrumenta contra se producere non teneantur, agnati intentionem Capituli constiteri videntur; cum enim ex fide documentorum litis penderet decisio, agnati documenta sibi contraria esse factentes, ea Capitulo favere, & consequenter pro ipso justitiam fundare agnoscebant.

(G) Judex agnatos ad instrumentorum editionem justè coegit. *Cap. accepimus. 4. cit. cap. perpetuus. 12. de fide instrum.* Nisi enim ad partis instantiam Judex instrumenta communia apud adversarium existentia, produci imperet, licitè ab eo appellatur. *Cit. cap. perpetuus.*

(H) Rectè in expensas agnati condemnantur, nec bonæ fidei exceptio suffragatur: cum ignorantia probabilis allegari non possit. Licet enim probabilis & justa facti alieni ignorantia in foro externo ex.uset, *per L. in omni. ff. de jur. & facti ignorant.* Agnati tamen instrumenta aliena per successionem fecerunt sua; sicut ergo proprii facti ignorantia non excusat, *cap. ab excommunicato. 41. de rescript.* Sic quoque priorum documentorum tenorem nemo probabiliter ignorare præsumitur,





## REGULA LXIV.

*Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.*

**Q**ures primo. Quot modis actus contra jus esse potest?

ꝛ. Modis duobus: vel est contra jus simpliciter prohibens, vel est contra jus irritans, quod tunc est, quando irritans additur clausula, aut indicatur, quod nullus futurus sit actus, aut actibus forma substantialis inducitur. Magna est inter hos modos, inter prohibere & irritare differentia: nam prohibere actum, est obligare, ne fiat: irritare est, voluntatem ad faciendum actum reddere inefficacem.

Quæres secundo. Quis Regulæ lenus?

ꝛ. Quæ sunt contra legem vel Canonem irritantem, ipso jure sunt invalida, & pro infectis habentur. Ita matrimonium ex metu, vel aliter quàm coram proprio contrahentium Parocho & duobus testibus celebratum, irritum est: Professio religiosa ante 16. ætatis & completum probationis annum est invalida: electio contra formam *cap. quia propter. 42. de elect.* instituta, alic-

natio rei immobilis ad Ecclesiam pertinentis absque Capituli consensu attentata omni caret roboris firmitate.

Quæres tertio. Quæ Regulæ limitatio?

ꝛ. Quæ sunt solùm contra legem simpliciter prohibentem, illicita quidem, valida tamen sunt. Ratio est: quia multa prohibentur, quæ si facta fuerint, valorem obtinent. *Cap. ad Apostolicam. 16. de Regular. cap. ex literis. 2. de matrim. contract. contra interd. Eccles.* Hinc matrimonium absque præviis proclamationibus, aut contra prohibitionem Episcopi, vel cum voto continentiæ, aut cum sponsalibus cum alia persona antea initis Contractum subsistit quidem, sed est illicitum; Baptismus à fœmina extra necessitatem collatus, Ordinatio Clerici aut Ecclesiæ consecratio ab alieno facta Episcopo, testimonium judiciale excommunicati, quamvis contra jus acta sint, ea valere tamen affirmamus.





REGULA LXV.

*In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis.*

**Q**uæres primo. Quis hujus Regulæ sensus?

*ꝛ.* Quando duorum in delictis, delictis & contractibus causa est æqualis, melior est conditio possidentis: adeo ut alteri non possidenti præferatur. Ratio est: quia duo Tituli potiores sunt & uniprævalent, possidens autem duos habet titulos, unum dubium, an res ad se pertineat, & in hoc adversario suo non possidenti est æqualis; alterum in juris fundatum præsumptione: jus enim in dubio favet possidenti; quo titulo caret adversarius, ideoque possidenti postponendus.

Quæres secundo. Quæ Regulæ Exempli?

*ꝛ.* Sequentia: *immum.* est in *Can. non sanè 15. caus. 14. q. 5.* ubi quidam corruperat Judicem, ut iniquam ferrer sententiam, qui postea pecuniam à corrupto Judice repetiit, utique velut ob cau-

sam turpem datam; sed respondetur Judicem ad reddendam corruptionem non obligari; quia in pari delicto melior est conditio possidentis.

*2dum* in *cap. quia frustra, 14. de usur.* Usurarius usuras à se suis creditoribus datas repetiit: sed respondetur usurarium prius obligari perceptas restituere usuras, quàm repetere à se datas: quia in pari delicto melior est conditio possidentis

*3tium.* in *cap. si à Sede, de præbend. in 6.* ubi duo simul & eodem tempore, unus à Papa, alter à Collatore Ordinatio idem impetraverant beneficium: & resolvitur: si non appareat, quæ collatio fuerit primò facta, est potior conditio possidentis; si verò neuter possideat, is cui Sedes Apostolica, vel Papa contulit, propter conferentis amplioris prærogativam est alteri præferendus.

C A S U S.

*Ad utramque Regulam.*

**L**idovina promisso Titio 12. annorum Juveni matrimonio (A) contrahit prætermisissis proclamationibus,

tempore interdicto, stante prohibitione Ordinarii, (B) coram quo super alia promissione conventa, præsentibus testibus



stibus, puero 8. annorum ac muliere semifatuâ, ac putatio pastore, excommunicato, hæretico, de quo fundatè dubitabatur, an esset Sacerdos (C) cum Cajo fratre uterino Titii, qui novercam Lydvina ante cognoverat, (D) Titius, antequam matrimonium cum Cajo

contummaret, implorat Ordinarium, qui Lydvinam à Cajo separat. (E) Sed cum causa ab utraque parte esset dubia, iudicat pro matrimonio, ex Regula: *in pari causa potior est conditio possidentis.* (F)

RESOLUTIO.

(A) Sponsalia cum Impubere contracta valida, sed infirma erant.

(B) Ideo contrahendo; antequam Titius pubertatis annos attigerit, prætermisissis proclamationibus, tempore interdito, agit contra Jus, quia tamen non agit contra Jus irritans, sed solùm simpliciter prohibens, non est invalidum ex hoc Capite matrimonium.

(C) Ad essentialem matrimonii solemnitatem quicumque testes rationis compotes sufficiunt. Si errore communi putabatur parochus, validè assistebat, Ecclesiâ propter communem errorem cum titulo colorato defectum supplente, dummodò aliàs capax esset. Nec ut Jurisdictionis parochialis quis capax sit, Sacerdotium requiritur, sed sufficit

clericatus. Unde si Clericus communi errore putetur Parochus, non vitiatur contractus.

(D) Ex sponsalibus cum Impubere contractis publicæ honestatis oritur impedimentum. Hinc nullum erat ex hoc capite matrimonium, quamvis Cajo Novercam Lydvina cognoscendo affinitatem cum Lydvina non contraxerit, cum noverca Lydvina non esset consanguinea.

(E) Ordinarius Cajum, si de impedimento non constabat, post contractum matrimonium à Lydvina separare nequibat.

(F) In dubio tamen benè per Reg. 65. pro matrimonio iudicavit.



REGULA LXVI.

*Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset.*

Q Uæres primò. Quis hujus Regulæ sensus?  
R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.

Et. Quoties in lege, contractu, testamento, aliâve in favorem alicujus factâ  
Y




factâ dispositione appositâ est per eum adimplenda conditio, & is, cui appositâ est, eorum, quæ ad impletionem pertinent, nihil intermittit, perindè haberi debet, ac si conditio adimpleta fuisset. Ratio est: quia cum ad impossibile nemo teneatur, dispositionis author non aliter quàm si conditionem implere possem me obligare voluisse censendus est. Exemplum habemus in *L. fin. C. de condition. insertis*. Titius in testamento disposuit, ut Servus, si hæredi scripto duodecim scura offerret, post mortem Domini libertatem consequeretur; dum scuta obtulit, quamvis ea hæres acceptare noluerit, liber efficitur, ac si hæres acceptasset.

Quæres secundo, Quæ sunt Regulæ limitationes?

ꝛ. 1mo. Non tenet Regula, si conditio adjecta formam inducat, quod

tunc est, quando constat, vel rationabilis est præsumptio disponentis voluntatem conditionis eventui ita fuisse alligatam, ut ex quacunque demum causa illa non eveniat, dispositionem non valere, & indultum favorem competere non voluerit.

2do. Præsenti Regulæ potissimum locus est in conditione potestativa, hoc est tali, quæ à voluntate ejus, cui apponitur, dependet; non autem tenet Regula in conditione casuali, vel eventuali, cujus eventus à casu pender, aut mixta, quæ partim à voluntate illius, cui appositâ est, partim aliunde dependet. Ut: quis Titio legavit 100. Imperiales, si testatoris filiam ducat, quod si hanc præmortuam non duxerit, legatum amittit, etsi per eum non steterit, quominus conditio adimpleretur. *L. Legatum. 4. C. de condition. insertis*.



## REGULA LXVII.

*Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.*

Quæres primò. Quis hujus Regulæ sensus?

ꝛ. Quæ licitè non fiunt nomine & voluntate propriâ, nec licitè fiunt nomine & voluntate alienâ, nisi ratio prohibitionis proprio duntaxat nomine agenti obsistat. Ratio est: quia in omni negotio pro se & rebus ad se pertinentibus faciliùs quis, quam pro aliis

admittitur. *Can. prohibentur. 14. §. hî tamen. caus. 2. q. 1.* qui ergo pro se agere prohibetur, multò magis ab actione pro aliis repellitur. Exempla sunt: Non solùm in iis, qui Juri naturali & divino repugnant, ut sunt furta, uluræ, perjuria &c. sed etiam in iis, quæ humano Jure prohibentur, alieno nomine agere non licet. Sic simplex Sacerdos

nec



nec suo nec alieno nomine Sacrum chryisma conficere, confirmare, Ordines conferre, Ecclesias benedicere potest; Excommunicatus nec suo nec alieno nomine agens in Judicio admittitur. *Cap. intelleximus. 7. de Judic. cap. à nobis. 2. de except. cap. post cessionem. 7. de probat.*

Quæres *secundo*. Quæ Regulæ limitatio?

R. In actibus prohibitis, quando ratio prohibendi suo solum nomine agenti obstat Regula non procedit. Exempla sunt; cum consanguinea vel affine proprio nomine matrimonium contra-

here non licet. *Cap. non debet 8. de consanguinit. Sc.* alieno tamen nomine veluti Procurator consanguineus cum consanguinea contrahere potest. *Cap. ex parte. 14. de restitu. Spoliat.* Episcopus subditis non suis vel in aliena Diocesi Ordines nomine proprio conferre prohibetur, attamen nomine Diocessani alterius tam proprios quam alienos ordinandi habet licentiam. Demum delegatus, qui suo nomine causam cognoscere, & in ea pronuntiare nequit, illam alieno nempe delegantis nomine licitè judicabit.

## C A S U S.

### *Ad utramque Regulam.*

**M**onica Abbatisa Sæcularis in Festo S. Quirini Patroni principalis ob infirmitatem divinis officiis non interfuit, hinc Capitulum eidem 10. maldera tritici, Abbatisæ, si utrisque interfit Vesperis, dari solita præstare detrectat. (A) Dum lis, quam cum Capitulo super Jure patronatûs habebat, ultra annum protraheretur, Episcopus pastoratum contulit. (B) Fecit testamentum, in quo singulis Canonis, si ad sepulchrum ejusdem Psalm. *De profundis* orarent, in anniversaria mortis die, duos florenos aureos legavit, quod aliquot annis propter bellum residere impeditæ non fecerunt. (C) In eodem testamento 100. Imperiales Ecclesiæ legaverat, si corpus ibidem, ut petierat,

tumularetur, sed Executores testamenti in Ecclesia Collegiata, ubi viliori pretio sepeliri poterat, eam sepeliendam censuerunt. (D) Aliam difficultatem Abbatisæ Advocatus contra Capitulum faciebat, cui Abbatisa 200. imperiales promiserat, si intra biennium causam, quam cum Capitulo habebat, evinceret, quod Abbatisæ Executores solvere renuebant, quia *Monica* primo anno cum Capitulo transegisset. (E) Titius Laicus Capituli Syndicus opponit, quod *Monica* transactionem quidem cum Capitulo fecerit, illam tamen non servasset: (F) ideo teneretur ad expensas frivole causatas, impediendo per suum mandatarium, ne præsentatio à Capitulo facta admitteretur.

Y z

R E-



## RESOLUTIO.

(A) **U**T locus sit Regulæ 66 ex qua  
*Monica* 10. mald. tritici pe-  
sit, probare debet, quod infirmitatis  
causâ in Festo S. Quirini divinis non  
interfuerit.

(B) Patronis inter se litigantibus  
Ordinarius vacantem rectè confert Ec-  
clesiam, si nempe Laici intra quadrimen-  
stre, & Ecclesiastici patroni intra seme-  
stre præsentare differant, qui pro illa  
vice, quamvis impediti, carent præsen-  
tatione. *Cap. cum propter. 27. de jurepa-  
tr.* Hæc exceptio à Regula nostra in fa-  
vorem animarum constituitur, ne vide-  
licet Ecclesiæ plus debitò maneant vi-  
duatæ Rectoribus, quod in ipsarum  
grave dispendium noscitur redundare.

(C) Quanquam Canonissæ oratio-  
nem Psalm. *De profundis* ad sepulchrum  
facere non potuerint, cuiuslibet tamen  
earum florenus aureus debetur annua-  
tim per Reg. 66.

(D) Ecclesiæ, in qua ab Abbatissa  
electa sepultura, legatum debetur, licet  
in illa sepulta non fuerit; quia per Ec-  
clesiam non stetit, quod ibidem non  
sepeliretur.

(E) Advocato conventum injustè  
negatur salarium; per eum enim non  
stetit, quominus litem intra biennium  
evinceret. *L. qui operas. 38. ff. locat.  
conduct.*

(F) Et si Laicus in causa Ecclesiastica  
nomine proprio agere non valeat, no-  
mine tamen Ecclesiæ & personæ Ecce-  
siasticæ, ut Syndicus, Procurator &c.  
agere non prohibetur: ac ita est exce-  
ptio à Reg. 67.

(G) Abbatissæ mandatarius sicut  
præsentatum à Capitulo frivole impe-  
dire nequibat nomine proprio, sic nec  
ei licebat ponere impedimentum inju-  
stum nomine alieno.



## REGULA LXVIII.

*Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regulæ  
sensus?

ꝛ. Qui actum, contractum, aut aliud  
negotium sive Judiciale sive extrajudi-  
ciale validè & licitè per seipsum facere  
potest, illud quoque rectè facit per

alium. Talia sunt in Judicio litigare,  
causam Judicalem cognoscere, matri-  
monium cum determinata persona con-  
trahere, Juramentum fidei facere &  
acceptare. &c. Ratio est: quia cum ho-  
mo aliis negotiis distractus & impedi-  
mentis



mentis sapius aliquid per seipsum exercere non valeat, necesse est, ut per alium faciendi habeat facultatem. Quod ergo per alium factum fuerit, perinde accipiendum est, ac si per seipsum factum fuisset, inquit *Reg. 72.*

Quæres *secundo.* Quæ hujus Regulæ exceptiones?

*R.* Varias præfens Regula patitur limitationes. Sic *1<sup>mo.</sup>* Non tenet, si ad negotium specialiter electa fuerit certæ personæ industria. *Arg. cap. fin. de offic. deleg.* Quando videlicet res ardua & præjudiciosa intuitu fidei, discretionis vel experientiæ alicui specialiter demandatur. Sic committi solet specialis in certam personam inquisitio, Ecclesiæ vacantis de Prælato provisio, matrimonii cum persona nominata Contractus, & qui tanquam Procurator ad matrimonium contrahendum electus est, non potest deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit commissum. *Cap. fin. de Procurator. in 6.*

*2<sup>do.</sup>* Non tenet, si nudum ministerium, vel mera commissa sit executio, ut Titio committitur, ut ab excommunicatione absolvat, pœnitentiam injungat, in irregularitate dispenset, &c. in quibus casibus commissum sibi ministerium per alium conficere nequit. *3<sup>io.</sup>* Non tenet in tutoribus & curatoribus; hi enim, antequam lis in causa fuerit contestata, Procuratorem in rem pupilli vel minoris dare non pos-


lunt. *L. neque tutores. 17. C. de Procurator. 410.* Excipitur generaliter negotium, quod vel ex sua natura, aut institutione vel statuto superioris aut testatoris voluntate, consuetudine vel mutua conventio: e per propria gerendum est personam: ut sunt susceptio pœnitentiæ. *Can. quem pœnitet. 88. de pœnit. dist. 1. Sacramentorum, matrimonio excepto, susceptio. Episcoporum, Parochorum, Canonicorum residentia. Cap. quia nonnulli. cap. cum. ad hoc. 16. de Cleric. non resident. Trid. Sess. 24. de reform. cap. 12.*

Quæres *tertio.* An sicut, quod quis per se facere potest, etiam per alium facere potest, ita quoque quod per alium, etiam per se ipsum facere possit?

*R.* Regulariter loquendo id verum est, & ex præcedenti sequitur Regula, Casus tamen excipiuntur sequentes: *1<sup>mo.</sup>* Prælati Ecclesiastici territorialem obrinens jurisdictionem malefactores per substitutum Prætozem vel Sarrapam suam ad mortem condemnare potest, quod tamen per se ipsum facere prohibetur. *Cap. fin. de Cleric. vel Monachi. in 6.* *2<sup>do.</sup>* Pupilli, mente capti, prodigi non per se ipsos, sed per Procuratorem litigare valent. Colligitur ex *cap. pastoralis. 14. de Judic. 310.* Excommunicatus, quantumvis conveniri possit, per alium tamen in Judicio respondere debet. *Cap. insellecimus. 7. de Judic.*







## REGULA LXIX.

*In malis promissis fidem non expetit servari.*

**Q**uæres primo. Quot modis malè promissum esse potest?

ꝛ. Duobus. 1mo: quia de re turpi, inhonesta, & lege prohibita facta est promissio. 2do. Quia promissio est quidem de re licita, attamen per vim, metum & minas promissarii extorta, aut in ea juris forma non observata: unde duplex est hujus Regulæ intellectus.

Quæres secundo. Quis primus hujus Regulæ intellectus?

ꝛ. Promissio de re mala, illicita, & quacunque lege prohibita obligandi non habet virtutem: quia quod justè & honestè fieri nequit, homini censetur non possibile. *Can. faciat. 15. caus. 22. q. 2.*

Quæres tertio. Quis secundus Regulæ intellectus?

ꝛ. Promissio metu, dolo, aliòve

pravo modo obtenta, non expedit, ut servetur, sed penitus rescindatur; hæc etenim promissio per exceptionem aut alium modum est rescindenda, cum id expediat promittenti, qui taliter promittendo est læsus: expediat promissario, qui lucrum ex delicto sperat: expediat Republicæ, cum publico interfit, ne malitiosi homines per injurias, violentias ac dolosas pactiones lucrum capiendi exquirant occasiones. Quod si tamen tali promissioni adjectum sit juramentum, id ipsum servandum est. *Arg. cap. debitores. 6. de Jurejur. nisi juramenti impetrata sit relaxatio. Cap. 1. de Jurejur.* Omne enim juramentum, quod non vergit in salutis dispendium, nec in ziii præjudicium est servandum. *Cap. cum contingat. 28. de Jurejur.*

### CASUS.

*Ad utramque Regulam.*

**N**atolia Virgo Regia à Patre ad nuptias cum Rege hæretico ineundas destinatur. Quas ut impediatur Natolia, mittit Ancillam honorariam ad Comitum Formosum ei offerendo matrimo-

nium (A) in ciis Parentibus contrahendum. (B) Ancilla cum alloquium Comitum habere non posset, Aulæ Præfecto voluntatem suæ Dominæ indicat cum literis hujus tenoris: *De facultatem*



tem Ancilla mea, ut cum Comite Formoso sponsalia jurata contrahat. Comes remittit Aulæ Præfectum ad Ancillam cum mandato, ut eidem renuntiet: *Meus Comes tibi nomine tua Principalis matrimonium jurato promittit, & à te nomine tua Domina promissum acceptat.* (C) Post aliquot dies cum matrimonio coram Parocho contrahendi non haberent occasionem, Natolia suæ Ancillæ & Comes famulo dat commissiōnem, ut euntes ad Parochum se tertio proclamari petant, quasi famulus cum Ancilla matrimonium initurus esset.

(D) Die autem statuto convenientes in Ecclesia, ordinariæ formulæ: *Ego te duco in meum*, addunt gallicè: *nomine mei Principalis*, quod unus solùm testis linguam gallicam callens advertit. (E) Matrimonio invalido declarato dubitavit Natolia, an ad minùs sponsalibus obligaretur. (F) 1<sup>mo</sup>. Quia erant de re illicita, matrimonio nempe infcis Parentibus contrahendo. G) 2<sup>do</sup>. Quia non fuerunt libera, cum Natolia ex timore justo, ne à Parentibus ad nuptias cum hæretico celebrandas cogeretur, Comiti matrimonium promiserit. (H)

R E S O L U T I O.

(A) **M**atrimonium (idem est de sponsalibus) per Procuratorem contrahi posse, constat ex *cap. fin. de Procurator. in 6.* ubi specialiter tria requiruntur. 1<sup>mo</sup>. Procurator ad contrahendum matrimonium speciale mandatum cum certa & determinata persona contrahendi habere debet. 2<sup>do</sup> Absque speciali licentia aut commissiōne alium sustitui nequit. 3<sup>to</sup>. Si Procurator antequam contraxerit à domino fuerit revocatus, contractum postmodum matrimonium ab eodem, licet tam ipse, quàm ea, cum qua contraxit, revocationem penitus ignorent, nullius momenti existit, cum illius consensus deficiat, sine quo infirmitatem habere nequit.

(B) Filios in electione statûs consiliū à Parentibus capere oportet, quod si tamen eos consultos restitutos; statumque eligendum irrationabiliter im-

pedituros prudenter judicare possunt, eos consulere non obligantur, & hoc erat in præsentī.

(C) Sponsalia per mandatarios & Procuratores ab utraque parte contracta valida fuerunt, cum Natolia pedissequa Aulæ Præfectum non substituerit, sed solùm per eundem Comiti Formoso mandatum Dominae suæ insinuaverit.

(D) Juxta præscriptum proclamandi sunt illi, qui matrimonium nomine proprio celebrare intendunt. Nec Procuratores proclamari sufficit, ut ex fine legis innotescit.

(E) Matrimonium per Procuratores taliter contractum nullum erat; non enim valebat nomine proprio, cum intentionem nomine proprio contrahendi non haberent; nec valebat nomine Principalium; quia Parochus & testes, qui eos nomine proprio contrahere arbitrantur




bitrantur, testari non possunt Principales per Procuratores contraxisse, consequenter erat clandestinum, invalidatum à Trident. matrimonium.

(F) Sponsalibus, ut ante dictum, validis procul dubio obligabatur.

(G) Quando illicitum propter modum, qui objectum promissionis non intrat, promittitur matrimonium, promissio tenet, ut est in præsentî, dum verò circumstantia, propter quam matrimonium est illicitum, sub promissio-

nis cadit objectam, promissio non dubitatur esse invalida, per Regul. 69. quod hîc non erat.

(H) Quantumvis *Natolia*, ex metu gravi, ne cum Rege hæretico nuptias celebrare injustè cogeretur, Comiti Formoso matrimonium promiserit, ille tamen ad extorquendum cum Comite matrimonium incussus non erat, ideoque invaliditatem illius haud operabatur.



## REGULA LXX.

*In alternativis debitoris est electio, & sufficit alterum adimpleri.*

**Q**UÆRES primo. Quid est alternativa dispositio?

*Re.* Dispositio alternativa est quando quid sub disjunctione per particulas: *vel, aut,* præcipitur, vel ordinatur. Exempla sunt in alternativa personarum: lego Titio, vel Cajo. *L. cum quidam. 4. C. de verbor. & rer. significat.* in alternativa rerum: Vendo tibi meum equum vel nigrum vel album: in alternativa locorum: pecuniam mihi mutuatam reddam tibi post annam vel Coloniae vel Francofurti: in alternativa temporum: Merces coemptas tradam vel 1mâ Januarii, vel 1mâ Februarii.

QUÆRES secundo. An particulae istæ

disjunctivæ semper sumantur disjunctivè.

*Re.* *Negative.* Quia propositio disjunctiva sæpius copulativè est sumenda, quando scilicet scopus disponentis, iniquitas, vel alterius incommodi vitandi necessitas copulativam suadet interpretationem, ut in sequentibus exemplis: 1mò. In alternativa personarum. Sit meus hæres Titius vel Cajo. Dono aut lego Sempronio vel Cajo. Sit tutor filii relictæ Petrus vel Paulus; præpositio *vel pro &* sumitur, ut alternativa in copulativam resolvatur. *Cit. L. cum quidam. 4. Cod. de verbor. & rer. signif. 2do.* Quando alternativa per particu-



particulam seu concipitur, potius copulativa, quam disjunctiva censenda est præpositio, maximè in rebus favorabilibus, quæ latam suscipiunt interpretationem. *Cap. inter ceteras. 4. De rescript. 3tio.* Quando alternativa inter genus & speciem, partem & totum ponitur, copulativæ æquivalet particulæ: ut: facimus pactum vel translationem; dedi aut donavi tibi fundum. *L. sape. § 3. ff. de v. s.*

Quæres tertio. Quis hujus Regulæ sentus?

1. In dispositionibus alternativis sufficit, si unum, idque debitoris eligendum arbitrio fiat, aut præstetur. Ratio est; quia uno præstito propositio disjunctiva verificata, & dispositioni satisfactum est. In favorem autem debitoris, hoc est illius, qui ex dispositione aliquid facere obligatur, adjecta cenletur alternativa, & quamvis electione nondum factâ debitor decedat, ad hæredes transit eligendi facultas.

Quæres quarto. Quæ hujus Regulæ exceptiones?

1. Regula non tenet 1<sup>mo</sup> in gratiis & beneficiis à Principe alternativè concessis, in quibus electio potius penes recipientem, quam concedentem est; beneficia enim Principum plenissimam recipiunt interpretationem. *Cap. cum dilecti. 6. de donation. 2do in legatis.* Quia si verba legati aut ultimæ volun-

tatis executionem respicientia ad hæredem sint directa, ut: hæres dabit centum, vel illum cedet fundum, hæredi qui legati debitor est, competit electio: si verò alternativa referatur ad legatarium, ut: Titius centum vel fundum accipiat, Legatarii est electio. *L. planè. 34. ff. de legat. quia Testator eum, ad quem verba direxit, prætulisse censetur. 3tio.* In electivis remediorum actionum Judicialium electio competit creditori, sive ei, cui duæ alternativæ conceduntur actiones. *L. rescriptum. 10. ff. de pact. 4to.* In alternativa pœnarum non ad delinquentem, sed ad Judicem tanquam legis executorem pertinet electio: nisi alternativa legis pœnalis verba non ad Judicem, sed ad reum dirigerentur, ut: reus talis criminis vel mille pendat, vel urbe excedat, electio est penes delinquentem. *5to.* In alternativa locorum: solvet Coloniz vel Francofurti: si debitor ultrò ante petitionem creditoris solvit, optio est debitoris. *L. non utique. 3. ff. de eo, quod certo loco &c.* Si verò debitor non præveniat, penes creditorem est electio. *6to.* In alternativis personarum, inter quas ordinis vel affectionis est prærogativa, ordo, quo in testamento positi sunt, observandus est, ut: in majoratu filius aut nepos, filius aut filia natu major succedat.

## C A S U S.

**O**tilia duobus fratribus promisit, quod vel Titium vel Cajum duceret. *R. D. Schnorrenberg. in Reg. Jur.*

re velit. (A) Mortuo Cajo promissi solutionem urget Titius, cui se obligari

Z

negat



negat *Odilia*, eò quod matrimonium sub disjunctione promiserit. (B) Inter ea à Sempronio seducitur *Odilia* per promissionem, quod eam vel ducere vel mille imperiales dare velit, si corporis copiam fecerit. Sempronius; postquam *Odilia* prolem enixa, ipsam ducere recusat, sed mille imperiales numerari facit: (C) attamen in testamento legat *Odilia* vel ejus proli ter mille imperiales ex Banco Dussellano vel Ambstelamenti solvendos. (D) Defuncto Sempronio hæres ejusdem ex Banco Dussellano vult solvere legatum. Consentit *Odilia*, si pecunia in aurea vel argentea grossa moneta numeraretur. (E) Receptâ pecuniâ Testamentum condit

*Odilia*, in quo filia suæ tutorem vel avum paternum vel maternum constituit. (F) at si proles sine liberis, vel intestata post illam decederet, substituit Pastorem ad S. Andream, (G) apud quem velut unicum suum amicam totam substantiam, ut plurimum in paratis pecuniis consistentem depositi restituendam vel sibi vel post mortem hæredi. (H) Mortuâ *Odilia* unica filia monasterium ingreditur, ac in novitiatu periculosè infirmam Testamentum facit, in quo hæredem instituit vel Ecclesiam vel infirmitorium, quod distinctos ab Ecclesia reditus ex consuetudine obtinebat. (I)

## RESOLUTIO.

(A) **N**on sunt vera sponsalia: hæc enim cum determinata incunda sunt persona.

(B) Titium ducere tenetur, licet ante mortem Caji, ex præsentis Regula, electionem haberet. Simile est in *L. non utique. 3. ff. de eo, quod certo loc. dari oport.*

(C) Ex Regula nostra est in electione Sempronii vel *Odiliam* ducere, vel ei summam solvere promissam.

(D) Servandus est ordo scripturæ per *L. cum pater. 77. §. 32. ff. 2. de legat.* Simile est in *Cap. mandato. 10. de præbend. in 6.* Melius dicitur utrique legatum esse solvendum. *L. cum quidam. 4. C. de Verb. & rer. significat.*

(E) Ante petitionem hæres locum, quem volebat, assignare poterat, sed

ante solutionem creditor, ubi volebat, legati solutionem petere valebat. *cit. l. non utique.* Ubi hæc Regula pro locorum ponitur alternativa. In electione tamen debitoris est, an in aurea vel argentea moneta solvere velit, per *Reg. 70.*

(F) Uterque tutor esse debet; particula enim disjunctiva in similibus disjunctionibus pro copulativa sumitur. *Cit. L. cum quidam.*

(G) Iterum disjunctiva pro copulativa sumenda est, si nimirum filia & sine liberis & intestata decedat. *L. Generaliter. 6. C. de institut. & substitut.*

(H) Est in electione deponentis repetere depositum. Quod si non repetat, hæredi est restituendum. *L. donationes. 31. §. ejusmodi ff. de donat.*

(I) Et Ecclesia & infirmaria succedunt. *Cit. L. cum quidam.* R. E.



## REGULA LXXI.

*Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum  
multò magis admittendus.*

**Q**uæres primo. Quis hujus Regulæ  
sensus ?

**R.** Cui in Jure pro re adipiscenda  
competit actio, illi multò magis, quàm  
alterius pro eadem re agentis actionem  
excludat, comperit exceptio. Ratio  
est: quia agere est reum impugnare, &  
ab alio in Judicio aliquid petere, exci-  
pere verò est se defendere contra impu-  
gnantem, ejus actionem excludendo ;  
rei autem se defendentis favorabilior  
est conditio, quàm actoris impugnan-  
tis: ideòque plus est agere, quàm ex-  
cipere, & tæpe, cui negatur actio,  
conceditur exceptio. *Cap. cum inter. 5.  
de except.* ei autem, cui plus licet etiam  
quod minùs est, licere in *Reg. 53.* lu-  
pra explicavimus.

Quæres secundo. Quæ sunt Regulæ  
exempla ?

**R.** Regula in sequentibus exemplifi-  
catur casibus. **1<sup>mus</sup>.** Titius contra Ca-  
jum per possessionem vicennalem a-  
grum præscripsit, Cajus post 20. anno-  
rum absentiam reversus Titium ex agro  
ejicit: Titius ejectus agit interdicto  
*unde vi* ad recuperandam possessionem,  
si autem Cajus in Judicio præscriptum  
repeteret agrum, Titius præscriptionis  
exceptione se tueretur. *Can. placuit. 8.*

*caus. 16. q. 3. l. si quis. 8. C. de præscript.  
30. vel. 40. annorum.*

**2<sup>us</sup>.** Titius à Cajo prædium ad 30.  
annos conduxit, Cajus conductorem è  
prædio expellit; Titius conductor uti-  
lem habet rei vindicationem: & ideo  
etiam, si possessio impugnaretur, con-  
ducti prædii haberet exceptionem. *Cit.  
l. si quis.*

**3<sup>us</sup>.** Titius in testamento hæredem  
scripsit Cajum, præterito filio Sempro-  
nio, hic Cajum hæredem scriptum im-  
pugnat inofficiosi querela testamenti;  
& ideo si Sempronius à Cajo ad extra-  
dendam paternam hæreditatem urge-  
retur, huic competit exceptio. *l. Pa-  
pinianus. 8. §. Si filius. ff. de inofficios.  
testam.*

**4<sup>us</sup>.** Caji uxor commisit adulteri-  
um, maritus sicut licitè agit ad divor-  
tium, *Cap. ex literis. 5. de divor.* ita  
eandem Cajam post notorium adulte-  
rium ad se revertentem exceptione ad-  
ulterii justè repellit. *Cap. significasti. 4.  
de divor.*

Quæres tertio. Quæ Regulæ exce-  
ptiones ?

**R.** Hæc Regula vim non obtinet,  
quando actio & exceptio in diversa ten-  
dunt, & Jura specialiter negant ex-



ceptionem, ut fit in casibus sequentibus :

1<sup>mus</sup>. Titius apud Cajum 100. deposuit imperiales, cui etiam 100. debet; Cajus adversus Titium deponentem debiti habet actionem, attamen si Titius depositos 100. imperiales in Judicio repetat, Cajus compensationis exceptione sese defendere nequit. *Cap. bona fides. 2. de deposit. L. si quis. 11. C. depositi.*

2<sup>dus</sup>. Cajus ex domus possessione vi est ejectus, ideoque restitutionem in Judicio petit: hic exceptione dominii repelli non potest, quamvis postquam restitutus, à Domino rei vindicatione in Judicio valeat conveniri. *Cap. in literis. 5. de restitu. Spoliator.*

3<sup>cius</sup>. Cajus agri conductor, sicum locatore super agri proprietate litigare velit, locatori agrum prius restituere debet, & tunc actionem habet, etsi ante restitutionem contra locatorem rem

suam repetentem non obtineat exceptionem. *L. si quis. 25. de locat. & conduct.*

4<sup>mus</sup>. Petrus à Paulo mutuavit 100. cum Juramento de solvendis usuris: Paulus in Judicio usuras exigit, contra quem Petrus propter Juramenti religionem exceptione tueri se nequit. *Cap. debitores. 6. de jurejur.* postquam tamen Paulus usuras solvit, eas proposita in Judicio actione repetere potest. *Cit. cap. debitores. ubi creditores ad solutas usuras restituendas ecclesiasticâ severitate dicuntur compellendi. Cap. ad nostram. 20. de jurejur.*

5<sup>mus</sup>. Prælatus electus, postquam confirmationem impetravit, exceptione criminis à capienda possessione impediri non potest: attamen captâ jam possessione denunciari vel accusari valet. *Cap. constitutis. 46. de appellat. cap. indemnitatibus. 43. §. ceterum. de elect. in 6.*

## REGULA LXXII.

*Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.*

**Q**uæres Quis hujus Regulæ sensus?

*Re.* Similis est Regula 68. *Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.* Sensus autem Regulæ est: Quod quis per delegatum, Procuratorem, vel man-

datarium subrogatum facit, eandem vim & effectum habet, ac si faceret per se ipsum. Ratio est: quia effectus ex mandato secuti ipse mandans principalis est causa, si enim mandatum abfuisset, nihil actum fuisset: ideo effectus man-



mandati non tam causâ proximè executrici, quàm Principali mandanti, causâ initiali, & primò moventi est attribuendus. Quod adeo verùm est, ut etiam delicta ex mandato perpetrata mandanti imputentur.

Exempla sunt 1<sup>mo</sup>. Titius famulo mandat, ut Cajum è possessione domûs ejiciat: Cajus mandantem ex interdicto *unde vi* convenire potest. 2<sup>do</sup>. Titia Paulum per famulam suam injuriari jussit: Paulus adversus Titiam, quæ in-

juriam inferri jussit, habet actionem. *L. non solum 11. ff. de injur.*

3<sup>tio</sup>. Andreas Petrum per sicarios occidi mandavit: non solum exequentes mandatum, sed etiam Andreas mandans irregularitatem incurrit. *Cap. fin. de homicid. in 6.*

4<sup>to</sup>. Petrus personam Pauli Sacerdotis injuriosè tractari jussit: non solum exequens, sed etiam Petrus mandans incidunt in excommunicationem Canonis. *Si quis suadente. Cap. mulieres 6. §. illi vero. de sentent. excomm.*

## C A S U S.

### *Ad utramque Regulam.*

**P**erpetua juvencula munusculis & amplâ largitione ad sponsalia inducta viduo matrimonium promittit, sed quia de minùs honesta cum aliis conversatione suspecta, viduus eam ducere renuit. (A) Ideo *Perpetua* ornatum muliebrem à viduo repetit, quem apud eum deposuerat. Excipit viduus sibi prius restituendum, quod *Perpetua* futurarum nuptiarum intuitu dederat. (B) Item mutuò datos 100. imperiales, quos *Perpetua* cum usuris intra annum restituere jurârat. (C) *Perpetua* in Judicio causâ cadit, sed sententiæ executionem per restitutionem in integrum impedire conatur. (D) Re cum viduo compositâ per pecuniam in Collegio utriusque Sexûs *Perpetua* præbendam adipiscitur, (E) ex cujus possessione vi dejicitur, excipiente quadam domicellâ *Perpetuam*

fimoniacè ingressam, malæ fidei possessorem esse, ac ideo non restituendam. (F) *Perpetua* restituta partem adversam muneribus placat, & efficit, ut liti renuniet. (G) Mortuâ Abbatissâ *Perpetua* eligitur & confirmatur, & dum possessionem capere vult, quidam ex Capitularibus se opponunt. (H) Villicus Capituli cum *Perpetua* agit, & villam, quam à Capitulo elocata tenet, emit. Capitulum id advertens alteri villam elocare parat: Villicus opponit villam jam tum esse emptam. (I) Cum *Perpetua* modò sufficienter provilum, Parentes eam in sola legitima institunt, & pro memoriali auream crucem legant, quam ipsa fratribus non vocatis secum sumit, cujus restitutionem aliqui ex hæredibus postmodum urgent. (K) Demum cum *Perpetua* in Capitulo Ca-



nonicum quendam perpetuum patere-  
tur oppositorem, suæ familiæ indicavit,  
ut si possent dominam suam ab injuriis  
& damnis per præfatum Canonicum il-

latis vindicarent, vitæ tamen parcerent.  
(L) Qui Canonicum tam graviter per-  
cussit, ut exinde 3<sup>ti</sup>a die mortuus  
fuerit. (M)

## RESOLUTIO.

(A) Sponsus ob admissam à Sponso  
S fornicationem à sponsalibus  
etiam juratis resilire potest. *Cap. quem-  
admodum. 25. de furejur.* ac ita est ex-  
emplum *Regul. 71.*

(B) Depositorum nullâ penitus excep-  
tione obstante reddi debet: quo reddi-  
to contra deponentem depositario datur  
actio. *Cap. bona fides. 2. de deposit.* & est  
1<sup>ma</sup> à *Reg. 71.* exceptio.

(C) Qui usuras solvere juravit, sine  
exceptione eadem ex religione jura-  
menti solvere cogitur: solutas tamen  
institutâ actione repetere non prohibe-  
tur. *Cap. debitores. 6. de furejur.* quæ est  
2<sup>da</sup>. exceptio.

[D] Quamvis contra latam senten-  
tiam in integrum detur restitutio, non  
tamen exceptio, ne ideo sententia exe-  
cutioni mandetur: *cap. suscitata. 6. de  
in integr. restitut.* & est 3<sup>ti</sup>a exceptio.

(E) Magna est quæstio, an simili-  
um præbendarum emptio simoniacâ la-  
be contaminetur, cum Ecclesiastica be-  
neficia non sint. Verior est sententia  
affirmativa; quia sunt revera fructus,  
qui propter spirituale dantur obse-  
quium.

(F) Et si contra simoniacè ingressum  
vel malæ fidei possessorem actio institui  
possit; spoliatus tamen ante omnia re-  
stituendus. *Cap. in literis. 5. de restitut.  
spoliat.* ac ita rursus non tenet *Regu-  
la 71.*

(G) Est iterum Simonia legitimum  
oppositorem, ut in materia beneficiâ  
ab intentata desistat actione, pretio vel  
quacunque re temporali permovere.

(H) Hæc oppositio non obest, quo-  
minus possessionem capere valeat. *Cap.  
post electionem. 7. de concess. præbend. cap.  
indemnitatibus. 40. §. sanè de elect. in 6.*

(I) Villicus ante omnia villam de-  
serere debet, sicque postea titulum su-  
um probare potest. *L. si quis conductio-  
nis. 25. C. de locat. & conduct.*

(K) Si Legatarius propriâ autori-  
tate rem legatam occupet, ad restitu-  
tionem tenetur. *L. 1. ff. quod legatorum.*  
Ac ita rursus non tenet *Regul. 71.*

(L) Quod hîc Perpetua per alium fa-  
cit, perinda est ac si faciat per se ipsam,  
juxta *Regul. 72.*

(M) Ideo rea est percussio, & ex-  
inde secuti homicidii. *Cap. mulieres 6.  
de sentent. ex com.*





## REGULA LXXIII.

*Factum legitimè retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.*

**Q**ues primo. Quis hujus Regulae tenentus?

re. Si Contractus vel alius actus stabilem inducens obligationem semel validè sit gestus, ita, ut ab agentis libera non amplius dependeat voluntate, retractari ab eo nequit, quantumvis casus seu circumstantia superveniat, quæ si antecessisset, ejusdem inchoationi obstisset.

Exempla sunt 1<sup>mo</sup>. Si matrimonio impotentia, cognatio, amentia superveniat, integrum tamen manet, quantum hæ circumstantiæ id ipsum ab initio invalidassent. *Can. neque furiosus. 26. caus. 32. q. 7. cap. si vir. 2. de cognat. spiritual. cap. tna. 10. cap. fin. de eo. qui cognovit &c. 2<sup>do</sup>. Qui fecit Testamentum, & postmodum in amentiam actus, vel bonis interdictus fuit, validum manet Testamentum. §. præterea. 1. instit. quib. non est perm. facere testam. 3<sup>io</sup>. Petrus ex præsentatione Patroni, qui tempore præsentationis in possessione Jurispatronatus erat, obtinet beneficium, modò tamen in Judicio Jus patronatus ab alio evictum fuit; Petrus nihilominus retinet beneficium, *Cap. consultationibus. 19. de Jurepatron. 4<sup>to</sup>. Cæcus Magistratum, quem videns ob-**

non possit. *L. 1. §. 5. ff. de postul. 5<sup>to</sup>. Qui legitimè fundum præscripsit, quantumvis scientia, completâ præscriptione, prædium fuisse alienum superveniat, restituere non tenetur; et si scientiæ, si ante adfuisset, præscriptionis inchoationi & inchoatæ perfectioni impedimentum præstitisset. *Cap. vigilanti. 5. cap. fin. de præscript.**

Quæres secundo. Quæ hujus Regulae exceptiones?

re. Hæ duæ. 1<sup>a</sup> Reg. solùm in actibus perfectis & consummatis tenet; quia si actibus nondum plenè consummatis impedimentum, à quo incipere non potuissent, superveniat, sæpe sunt invalidi. Ut: 1<sup>mo</sup>. Sponsalia legitimè contracta per matrimonium cum alia à Sponso initum, aut accidens affinitatis, voti &c. impedimentum dissolvuntur. *Cap. scient. 22. cap. si inter. 31. de sponsal. 2<sup>do</sup>. Præ-lato electo, si post electionem aliquod crimen committat, quod si electionem antecessisset, eandè impediuss. r. denegatur confirmatio. *Cap. fin. de Jurejur. in 6. 3<sup>io</sup>. Si lite contestatâ causa justa Judicium recusandi superveniat, illâ probatâ Judicium sistitur. *Cap. insinuan-te. 25. de offic. delegat. Quia per litis contestationem solùm inchoatur, non autem consummatur Judicium, Se-***



*Secunda Regula* locum non habet, si illius, quod legitimè gestum est, de Jure vel de facto impossibilis redditur effectus. Sic sponsalia propter superveniens affinitatis impedimentum redduntur nulla: vorum extinguitur, eò

quod actio promissa propter accidentem prohibitionem impossibiliter accipiat: stipulatio evanescit, si res promissa sacra vel religiosa efficiatur, aut hominum commercio subtrahatur. L. si ex legati. 24. ff. de verbor. obligat.



## REGULA LXXIV.

*Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.*

**Q**uæres. Quis hujus Regulae sensus?

*Res.* Ea, quæ Privilegio, dispensatione, vel alia simili gratiâ contra Jus, vel ultra id, quod Jure communi permittitur, ab aliis in exemplum trahi, & in simili casu sibi quoque permittenda centeri non debent. Ratio est: quia Privilegia, dispensationes, & quævis gratiæ à Jure communi exorbitantes odiosæ sunt, & strictæ interpretationis, ita ut in consequentiam trahi nequeant, nec à casu, causa, persona una ad aliam extendi valeant. Exempla sunt 1<sup>mo</sup>. in cap. sanè. 9. de privileg. Papa temerarium & indignum esse dicit, eum, qui sibi suâ autoritate præsumit, quod Romana Ecclesia alicui, certâ ratione inspectâ, singularibus voluit beneficiis indulgere. 2<sup>do</sup>. in can. petisti. 17.

*caus. 7. quæst. 1.* Zacharias Papa S. Bonifacio Archi-Episcopo Moguntino Successorem designare concedit, addendo: *Hoc nulli concedi alii patimur, quod tibi charitate cogente largiri censuimus.* 3<sup>tio</sup>. in can. contra morem. 8. dist. 100. Quidam Archi-Episcopus contra Ecclesie morem extra missarum solemniam pallio Archi-Episcopali utebatur, quem redarguens Pontifex dicit, ipsum, si suæ Ecclesie Privilegium probare nequeat, singulari aliarum Ecclesiarum favore nullatenus defendi. 4<sup>to</sup>. in can. hinc est. 39. caus. 16. q. 1. Cuidam Laico Prælati Ecclesiastici electioni interesse specialiter concessum erat, quod exemplum alii Laici sequi nitebantur; sed respondet Papa: *Quod uni sigillatim conceditur, non statim omnibus convenit.*

R E-



C A S U S.

Ad utramque Regulam.

Quarebunda postquam Cajo matrimonio promississet, frater Caji se Cajum esse simulans ab eadem copiam corporis obtinet. (A) Quare ducit Titium, qui ante consummatum cum Quarebunda matrimonium per maleficium redditur impotens ad matrimonii consummationem. (B) Ideo

Titius Quarebundam consentiente cum ejusdem Sorore carnaliter vixit, usque dum post annum sublatum fuit maleficium. (C) Quo sublato Titius dispensationem petit à Parocho, qui à Regularibus eam dari audiens, etiam se velut Parochum eandem habere potestatem arbitratur.


R E S O L U T I O.

(A) Sponsalia de futuro legitime inita, propter supervenientem affinitatem, à qua incipere non potuissent, rumpuntur. *Cap. veniens. 2. de eo, qui cognovit Sc. cap. super eo. 2. de consanguinit. Sc. affinit.*

(B) Matrimonium solemniter contractum ob furorem, affinitatem, aut impotentiam supervenientem, propter quæ incipere non potuisset, non subvertitur.

(C) Per copulam carnalem cum Sorore Quarebunda, cum hac affinitatem contraxit, quæ quamvis matrimonium ab initio validum solvere non possit ejus tamen usum impedit. *Cap. fraternitatis. 10. de eo, qui cognovit Sc.*

(D) Parochus privilegium Regularibus Ordinum mendicantium concessum sibi arrogare non poterat, per Regulam 74.



R E G U L A L X X V.

*Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.*

Quæres. Quis hujus Regulæ sensus?

R. D. Schnorrenberg in Reg. Jur.


Re. Is qui fidem conventionem alteri datam non servat, & ex ea debitum non præ-

A a præ-



præstat, ab altera parte, ut fidem servet, & ex ea debitum præstet, petere non potest. Ratio est: quia omni contractui tacita inest conditio, de eo, quod promissum, servando: si fidem alteri datam servaverit: L. cum proponas, 21. C. de pactis. Is autem qui sub conditione promittit, ex conventionem quacunque non tenetur, nisi conditio implea-

tur. §. sub conditione. 4. institut. de V. O. quod ad eam veram, ut quamvis contractui adjectum sit Juramentum. Sicut enim promissioni simplici tacita inest conditio: si fidem datam alter servaverit: ita quoque inest apposito Juramento, quâ proinde deficiente Juramenti non urget obligatio. Cap. pervenit, 3. de Jurejur.



## REGULA LXXVI.

*Delictum persona non debet in detrimentum  
Ecclesie redundare.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regulæ sensus?

ꝛ. Si Ecclesie membrum, Oeconomus, Syndicus, Procurator, Rector vel Prælati delictum committat, ad reparationem injuriæ vel damni tertio illati, vel ad pœnæ solutionem Ecclesia non obligatur. Ratio est: quia Ecclesia Jure pupilli & minoris illæsa servari debet. Cap. 1. de in integr. restit. Ideoque Prælati vel administrator licet Ecclesie conditionem meliorem, deterio-rem tamen facere non potest. Cap. fraternitatem, 2. de donat. ac ita delinquendo Prælati vel Rector Ecclesie nomine agere non præsumitur.

Exempla sunt imò. Si Episcopus deponatur, aut feloniam committat, bona Ecclesie fisco non cedunt, nec Dominus directus illis se immiscendi ha-

bet facultatem. Can. si Episcopum, 3. caus. 16. q. 6. 2do. Immobilia Ecclesie bona malè alienata à Successore alienantis, Superiore, Capitulo, imò ipso Prælati illegaliter alienante & propriam turpitudinem allegante repeti possunt. Can. Apostolicos, 13. caus. 12. q. 2. cap. si quis, 6. de rebus Eccles. non alienand. 3110. Si Syndicus Ecclesie falsum instrumentum ab ipso Prælati confectum in Judicio producat, nullum per id Ecclesie præjudicium generatur. Cap. cum Venerabilis, 6. §. ad hac. de excep- tion.

Quæres secundo. Quæ Regulæ exceptio?

ꝛ. Regula in commissionis, non in omissionis procedit delictis; Prælati enim suâ negligentia Ecclesie obesse potest. Sic ex negligentia Prælati con-

tra



tra Ecclesiæ quadragenaria currit præscriptio. *Cap. de quarta. 4. cap. ad aures. 6. cap. auditus. 15. de præscript.* Sic quoque negligentia Prælati vel Procuratoris instrumenta in Judicio non exhibentis in tantum obest Ecclesiæ, ut non nisi beneficio restitutionis in integrum ei succurratur. *Cap. cum venissent. 2. de in integr. restitut.* Aliqui hanc

secundam addunt exceptionem: nisi delictum à Prælato cum consensu Capituli fuerit perpetratum; quia tunc, cum tota Ecclesiæ deliquisse censetur, in faciendo Ecclesiæ infert præjudicium. Exemplum est in *Cap. cum dilectus. 2. de ordin. cognition.* ubi Ecclesiæ spoliationis à Prælato factæ nocet exceptio.

## C A S U S.

### *Ad utramque Regulam.*

**R**enata Belgii gubernatrix Coronæ Galliæ pacis proponit conditiones, quas illam non accepturam novit, ut illo modo avertat, ne cum hoste Sueco fœdu. in. rat. (A) Coronæ Galliæ conditiones pacis reculant; semestris offert inducias, ut interea de aliis pacis conditionibus deliberetur. Inducias Gallia acceptat; sed cum Renata tempore induciarum, quidquid nervi bellici, ex Germania confœderata adveheret, Gallia inducias rumpit, & bellum ab utraque parte acrius urgetur. (B) Super quo quidam Galliæ fautores Renasam fugillant, quod ipsa ex lege Christiana pacem etiam cum iis, qui pacem servare nolunt, servare teneatur, ad exemplum Davidis, qui de se ait: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* (C) Maximè cum induciæ ab utraque parte Juratæ essent. (D) Postquam bellum annis quibusdam duravit, intervenientibus Germaniæ Principibus pacis fiunt consultationes. 1<sup>mo</sup> petit Gallia ur-

gentibus Germaniæ Principibus hæreticis, ut liberum maneat toleratarum in Imperio religionum exercitium. (E) 2<sup>do</sup>. Ut liberum religionis exercitium juretur, & si quid contra illud admittatur, statim à Germaniæ Principibus mediatoribus & pacis defensoribus fiant repressaliæ. (F) 3<sup>mo</sup>. Cum Elector quidam Ecclesiasticus huic bello sese implicaverit, ideòque ab Imperatore Electoratu privatus, Galli plenam ejus restitutionem, omniumque damnorum reparationem ex *Reg. 76.* exigunt. (G) Metropolitanum etiam interveniens Capitulum Ecclesiam suam ex recessione Prælati & Electoris plurima damna per eandem Regulam reparanda pertulisse conqueritur. (H) Quibus ab altera parte opponitur, ipsum Capitulum in fœdus contra imperii constitutiones cum Gallia initum consensisse, & ea de causa detrimentorum petere non posse reparationem. (I) Imò quidam sustinebant Ecclesiam illam



esse perpetuò dignitate Electorali privandam, eamque ad aliam Ecclesiam cathedralem vel Metropolitanam transferendam; quia Imperatores & impe-

rium eâ lege & conditione Ecclesiis illis dignitatem contulerunt, si fideles Imperio permanerent. (K)

## RESOLUTIO.

(A) **Q**uamvis hosti servanda fides, eum tamen per stratagemata absque fidei violatione decipere licet. *Can. Dominus. 2. caus. 23. q. 2.*

(B) Quia *Renata* veluti provida administratrix tempore pacis & induciarum de bello cogitare, & quæ ad illius, si pax non sequeretur, prosecutionem necessaria, comparare poterat: ideo Gallis inducias perfidè rumpentibus, *Renata* bellum à parte sua urgere liberum erat, per *Regul. 75. & cap. quia frustra. 14. de usur.* Nec obstabat *can. innocens. fin. caus. 22. q. 4.* ille enim publicam non continet necessitatem, sed ad perfectionis pertinet plenitudinem.

(C) Homo privatus in foro conscientia non solum pacem cum non servante pacem servare, sed etiam inimicum diligere tenetur. Alioquin audiet: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisaorum non intrabitis in regnum calorum.* Nec plus vult *Can. inter verba. 55. caus. 11. q. 3. & can. Dominus. 25. dist. 93.* Aliud est de Magistratu Jus pacis & belli obtinente.

(D) Non obstat adjectum à *Renata* induciis Juramentum; promissio enim tacitam habebat conditionem; Si Corona Galliaë pactas inducias etiam

servet. *Arg. L. si quis fundum. 37. ff. de contrahend. empt.*

(E) *Renata* in hanc conditionem, nisi necessitate coacta aliter extricare se non possit, consentire nequit; cum turpis hæc conditio sanæ religioni contrarietur.

(F) Hanc quoque conditionem sola excusat necessitas, & sicut, qui latroni mille dare juratò promittit, vi Juramenti, usque dum à Superiore ab eodem absolvatur, manet obligatus, ita etiam Juramentum, quo hæreticis religionis exercitium est promissum, solâ durante necessitate obligat, cum alter Catholici jurare non valeant.

(G) Quando Episcopus vel Prælatus feudum à Principe non personæ sed Ecclesiæ datum propriâ culpâ perdit, eo vivente ex feudo nec damnum nec fructum habet Ecclesiæ; eo tamen mortuo res feudalis ad Ecclesiæ vel Successorem redit.

(H) Quanquam Ecclesiæ ex Prælati delicto per *Reg. 76.* damnum directè non patiat, indirectè tamen pati potest. Sic Prælatus Ecclesiæ in acquirendis nocere valet. Exempla sunt in *Cap. auditis. 15. de prescript. cap. cum venissent. 2. de integr. restitut.*

(I) Nec nocet Ecclesiæ Prælati & Capituli delictum: sed sicut Prælatus quia



quia est solus honorum Ecclesie administrator, eidem per malam administrationem obesse nequit, ita ut proprio facto contravenire, & propriam allegandoturbitudinem rem male alienatam Juramento non obstante vindicare possit. *Gloss. in cap. 1. de integr. restitut. in 6. V. contractum.* ita etiam quia Capitulares sunt solum cum Prælato Ecclesie administratores, eidem suo delicto nocere non possunt, per *Reg. 76. & Reg. 22. Non debet aliquis alterius odio pręgravari.*

(K) Et si etiam sub memorata conditione collata sit Ecclesie electoralis di-

gnitas, Jus tamen electorale Ecclesie innocenti jam plenè quæsitum ob Electoris defectum non est auferendum per *Reg. 76. sed*

*Quæres.* Titius fundavit anniversarium in Ecclesia Regulari sub conditione: ut si Religiosi anniversarium non servent, fundatio ad Ecclesiam parochialem transferatur. An anniversarium, Religiosis illud non servantibus, transferendum?

*R. Affirmativè.* Quia Ecclesie regulari non absolutè, sed sub conditione; si servetur anniversarium, est acquisita fundatio.

## REGULA LXXVII.

*Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore.*


**Q**uæres primo. Quis hujus Regule sensus?

*R.* Qui in dignitate aut in alio honorifico succedit munere, eum quoque in onere & connexis obligationibus decet succedere, juxta illud Gregorianum: Cum honoris augmento cura quoque sollicitudinis debet accrescere, ut cultui vestium actionis ornamenta convenient. *Can. rationis. 9. dist. 100.*

Quæres secundo. Quæ Regule sunt Exempla?

*R.* Sunt *imo.* Filii vel hæredes Patroni, quia in Jurispatronatûs succedunt honore, eos etiam in onere defendendi Ecclesiam succedere oportet. *Can. filius. 31. caus. 16. q. 7.* *2do.* Prælatus sicut in honore, sic quoque succedit in onere solvendi prædecessoris sui debita, pro Ecclesie utilitate contracta. *Cap. 1. de solution. ibi: Sicut filius debita Patris solvere tenetur, ita Prælatus sui prædecessoris, pro Ecclesia necessitate contracta.*





## REGULA LXXVIII.

*In Argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regulæ sensus?

**R.** Ea, quæ necessitatis intuitu in casu particulari conceduntur, in argumentum trahi non debent, ut in simili casu necessitate cessante permilla censeantur. Ratio est: quia quod pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate debet utique cessare, inquit Innocent. in *can. quod pro necessitate. 41. caus. 1. quest. 1.* Idem repetitur in *can. quod pro remedio. 7. caus. 1. q. 7.* & generale est, quod cessante causâ cesset effectus, *cap. cum cessante. 60. de appellat.*

Quæres secundo. Quæ Regulæ Exempli?

**R.** Sequentia. 1<sup>mo</sup>. Beneficia sæcularia Religiosis in necessitate & defectu Clericorum sæcularium conferri pos-

sunt: ex hoc tamen non sequitur, quod extra necessitatis casum Religiosi hujusmodi beneficia valeant obtinere. *can. 1. dist. 55.* 2<sup>do</sup>. Si cum promovendo in Episcopum in ætatis defectu ob necessitatem vel Ecclesiæ utilitatem fuerit dispensatum, quod pro necessitate temporis factum est, à posteris in exemplum trahi non debet. *cap. cum in cunctis. 7. de elect. 310.* In humani generis principio frater cum sorore licitè contraxit, cum urgeret necessitas. Eâ hodie sublata nec licitè nec validè intra quartum gradum contrahi potest. *cap. non debet. 8. de consanguin. & affin. 410.* Tempore famis Parentibus filium distrahere & vendere licet, ex quo non sequitur, extra necessitatis articulum ipsis eandem competere potestatem.

### C A S U S.

*Ad utramque Regulam.*

**S**peciosa Hispaniarum infans in Belgii Gubernatione Renata succedit, quæ ex ingenita Austriacis pietate dubitabat an obligaretur ad subscriptas juratasque pacis



pacis conditiones, 1<sup>mo</sup>, quoad liberum Hæreticis in universo Belgio Religionis exercitum. 2<sup>do</sup>. Quod Jurisdictio Ecclesiastica quoad Hæreticos esset suspensa. 3<sup>io</sup>. Quod nullus Princeps vel Magistratus eos à publicis officiis excludere possit. 4<sup>to</sup>. Imò quod in quolibet Magistratu vel communitate aliqui ex Hæreticis ponerentur Officiales &c. Pro parte affirmativa affere-

batur Reg. 77. quod cum Renata Belgii Gubernatrix in tali necessitate has conditiones subscripisset, & jurasset pro se & suis Successoribus, ad earum observantiam Speciosa in gubernandi potestate succedens obligaretur; pro parte negativa militabat Reg. 78. Quidquid enim Renata in favorem Hæreticorum subscriperat, id metu graviorum malorum adacta fecerat.

## RESOLUTIO.

Speciosa ad nullam ex positis conditionibus obligatur. Liqueat ex *Can. Presbyteros. 32. dist. 50. can. 1. caus. 15. q. 6.* Et illud, quod pro necessitate temporis concessum est, cessante ne-

cessitate debet cessare pariter: quia alius est Ordo legitimus, alia usurpatio, quam ad præsens fieri tempus impellit. *Can. quod pro necessitate. 41. caus. 1. quest. 1.*

## REGULA LXXIX.

*Nemo potest plus Juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.*

**Q**uæres primo. Quis hujus Regulae sensus?

*R.* Qui rem certam, sive per ultimam voluntatem, sive per actum inter viros in alium suo nomine transferre vult, in eum plus Juris transferre nequit, quam constet eum habere actu vel potentiâ. *cap. nuper. 6. de denotat. inter vir. & uxor.* Ratio est: quia ne-

mo dat, quod nec actu habet, nec potentia.

Quæres secundo. Quæ Regulae limitatio?

*R.* Regula solum procedit de rursus translatione, quæ suo nomine, & propriæ voluntatis sit efficaciam, & tunc in alium non plus transfertur, quam ante habetur. Unde, quæ huic Regulae contrari



traria videntur, sequentia solvuntur:

1<sup>mo</sup>. Si Abbatem Episcopus benedicere recusat, Abbas non benedictus Religiosos suos benedicere, iisdemque Ordines Minores conferre, ac ita, quod non habet, dare potest. *Cap. 1. de supplend. neglig. Pralat.* in hoc enim casu Abbas de Jure probenedicto habetur, ideoque iis, quibus Abbates gaudent benedicti, privilegiis uti non prohibetur.

2<sup>do</sup>. Archi-Episcopus ante Pallii Archi-Episcopalis receptionem alteri Episcopo Commissionem dare potest, ut suffraganeum suum consecret, quem tamen ipse ante Pallii receptionem consecrare nequit, ac ita dat Commissionem faciendi id, quod ipsemet facere non potest. *Cap. suffraganeis. 11. de elect.* Cujus ratio est: quia dare Episcopo Commissionem, ut subditum suum ordinet, vel consecret, est actus Jurisdictionis, quam Archi-Episcopus per confirmationem obtinet: Episcopum autem consecrare est Ordinis actus, quem Archi-Episcopus ante Pallii receptionem exercere nequit.

3<sup>io</sup>. Patronus laicus à die habitæ notitiæ, quod Ecclesia vacet, quatuor menses habet, intra quos præsentare tenetur, quod si tamen Jus suum Patronatus Ecclesiæ vel Monasterio cedat, illa sex menses habet, intra quos præsentatio instituenda, ac ita plus accipit, quam Patronatus laicus habuit. *Cap.*

*unic. §. verum. de Jurepatron. in 6.* Ratio est: quia per cessionem Juspatronatus, quod ante erat laicale, quatuor tantum mensium habent terminum, fit Juspatronatus Ecclesiasticum, cui terminus sex mensium indulgetur.

4<sup>to</sup>. Si quis rem alienam malâ fide possessam in alterum v. g. per donationem transfert, tunc donatarius bonâ fide rem donatam acceptans præscriptionem incipere potest, quamvis donatori propter malam fidem præscriptio currere nequiret. *Cap. vigilantis. §. cap. fin. de præscript.* & ita donatarius plus Juris habet in re donata, quam ante habuerit donator, cum mala fides non reale, sed personale sit vitium, quod cum re donata non transit in donatarium.

5<sup>to</sup>. Creditor vendendo pignus, dominium rei oppignoratæ, quod ipse non habet, transfert in emptorem. *L. non est novum. 46. ff. de acquir. rer. domin.* idem est in Prælato res Ecclesiæ distrahente, in Tutore, Curatore, Procuratore, qui licet non sint domini, per traditionem tamen dominium transferunt, quia non proprio nomine distrahunt.

6<sup>to</sup>. Judex legis ex Reipub. ita Ordinantis Authoritate per sententiam rei judicatæ in Actorem transfert dominium, ut quod jus non est, jus fit & fiat per sententiam secundum leges promulgatam. *Arg. L. fin. C. de rejudicat.*



# REGULA LXXX.

*In toto partem non est dubium contineri.*

**Q**uzres. Quis hujus Regulæ sen-  
sus ?

Re. Quia totum dicitur, quod ex partibus est compositum, ideo cui competit totum, illi etiam competunt partes. Ut in exemplis sequentibus: 1mo cui pro tota re sua ab alio possessa competit vindicatio, illa quoque pro singulis ejus partibus competit. L. qua de

101a. 76. ff. de rei vindicat. 2do. Toto fundo evicto, ejus quoque pars evicta censetur. L. ex mille. 64. ff. de evictio. 3tio. Rei judicatæ exceptio sicut obstat ei, qui prius pro tota domo in Judicio egit & succubuit, sic eidem obstat, si postea pro ejusdem domus parte agere intendit. L. si quis, 7. ff. de except. rei judicat.

## CASUS.

*Ad utramque Regulam.*

**T**heodorus & Theresia Conjuges reciprocum faciunt Testamentum, Theresia virum exasse hæredem instituit. In omnibus bonis suis dotalibus, (A) Feudalibus (B) Fideicommissis. (C) Allodialibus, in quibus al qua per futurum, rapinam aliasque violentias à patre Theresia acquisita inveniebantur, quanquam Theresia in bona semper fide fuerit. (D) Econtra Theodorus hæredes Universalis suos proximos instituit agnatos. Theresia conjugii imprimis legat usumfructum in omnibus bonis immo-

bilibus, inter quæ fideicommissis quædam sunt gravata. (E) Eidem Theresia legat omne aurum & argentum, ex quo ipsa sibi quancumque pecuniam auream & argenteam arrogare præsumit. (F) Præterea legat fundum, ut dicebat, meum inter istos limites existentem, qui fundus tamen nunquam Theodori fuit. (G) Demum legat hortum, ut dicebat, meum ædibus meis adjacentem, ille tamen Theodoro cum fratribus suis communis erat. (H)



## RESOLUTIO.

(A) **D**Os profectitia, hoc est, à parte data, ad patrem adhuc viventem dissoluto redit Matrimonio, ideòque per Reg. 79. non poterat dari viro.

(B) Bona feudalia, si ad familiam pertinebant, cum in iis *Theresia* solum ususfructum haberet, in virum transferri nequibant.

(C) In Fideicommissis etiam *Theresia* plenum non obtinebat dominium, quare nec hæc viro tradere valebat.

(D) Res furtiva, item fundus vi occupatus, reale habebat vitium, quod non purgatur, nisi rursus ad verum devenerit Dominum, unde de illis, licet bona fide possideret, disponere non poterat. Si autem aliàs rem alienam vitio reali non affectam habuisset, quam bonâ fide præscripisset, vel præscribere incepisset, illam in maritum licitè transtulisset, sicque exceptio à Reg. 79. locum habuisset.

(E) Ususfructus causalis est pars domini. Cum igitur totum per Reg. 80. contineat partem, qui per fideicommissum dominium rei ad alium trans-

mittere gravatur, partem quoque vel ususfructum transmittere debet, unde legatum ususfructus rei fideicommissio onerata non subsistebat.

(F) Cum aurum & argentum in genere legatur, pecunia signata non continetur. L. cum aurum. 19. L. Quintus Mutius. 27. ff. de auri. & argent. legat. aurum enim & argentum pro re vendibili, pecunia verò signata pro pretio sumitur, quapropter pecunia velut species sub auro tanquam genere non comprehenditur.

(G) Quando testator sciens fundum alienum, quem falsò appellat suum, legat, hæres illum à Domino redimere, & Legatario præstare debet; quia cum fundus in rerum natura sit, demonstratio falsa legatum non perimit. L. quibus. 40. §. qui dotalem. ff. de condit. & demonstrat.

(H) Cum fundum communem esse sciebat, verè appellavit meum, videlicet quoad partem, quam quoque legasse censetur. L. servi electione. §. §. cum fundus. ff. 1. de legat.



R E.



## REGULA LXXXI.

*In Generali Concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

**Q**uæres primo. Quis hujus Regulæ sensus ?

*1.* Quando in humana dispositione quidquam termino vel vocabulo Generali conceditur, non intelliguntur illa concessa, quæ verisimile non est in specie ac expressè fuisse concedenda. Ratio est: quia Generales concessiones fiunt plerumque præviâ solùm confusâ specialium cogitatione, quæ ordinariè & faciliter concedi solent, nullâ ponderatione eorum, quæ si de iis cogitaretur, verisimiliter excipienda, & non concedenda fuissent, unde ad talia, utpote non satis cognita, intentionem & voluntatem concedentis extensam fuisse non præsumitur.

*Quæres secundo.* Quæ Regulæ exempla ?

*1.* Sunt sequentia: *1.* *immum* qui ab Ordinario sibi quemcunque eligendi Confessarium impetravit facultatem, ab electo à reservatis absolvi nequit. *Cap. si Episcopus. 2. de pœnit. & remiss. in 6.*

*2.* *dum.* Officialis vel Vicarius Generalis Episcopi beneficia ecclesiastica ad Episcopi Collationem pertinentia conferre non potest, nisi Beneficiorum collatio ipsi specialiter sit commissa. *Cap. fin. de offic. Vicar. in 6.*

*3.* *ium.* In commissione generali, quam Legatus Apostolicus habet, non continentur causæ fidei. *Can. frater. 52. caus. 16. q. 1. nec translationes Episcoporum, nec uniones vel divisiones Episcopatum.* *Cap. quod translationem. 4. de offic. Legat. cap. deliberatione. 4. eod. in 6.*

*4.* *um.* Qui ex Generali mandato bona alterius administrat, ex bonis administratis liberales donationes facere non potest. *cit. Cap. fin. de offic. Vicar. in 6. L. filiusfamilus. 7. ff. de donat.*

*5.* *um.* In Generali pignoris obligatione non venit uxor, alumnus. Quos neminem credibile est pignori specialiter daturum fuisse in generali pacti conventionem. *L. 1. C. quæ res pignor. &c.*





REGULA LXXXII.

*Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.*

**Q**uæres primò. Quis hujus Regulæ sensus ?

*1.* Is, qui contra publicam & Notoriam legis aut Canonis prohibitionem aliquid emit, id dolo & cum peccato facere præsumitur, & ideo rei sic emptæ malæ fidei possessor vel est, si legem scivit, vel esse censetur, si legem ignoravit Ratio est: quia quilibet actiones suas legum canonumque normæ & formæ accommodare debet, & quod quis ex præscripto facere tenetur, cum scire obligetur, scire præsumitur, ideòque qui nescit, quod scire potuit & debuit, non minus est in culpa, quam qui scit, quid facere debeat, & non facit, juxta Apostolum: *Si quis ignorat, ignorabitur.* Unde qui contra juris prohibitionem rem emit, sive mercatur, malæ fidei possessor esse non ambigitur. *L. quemadmodum. 7. C. de agricol. censu. Sc.*

Quæres secundo. Quæ hujus Regulæ exempla ?

*1.* Sequentia: *1. imm.* Qui contra Canonum prohibitionem emit Ecclesiam Beneficium Ecclesiasticum, Officium ab Ecclesia in rei Sacræ reverentiam, ad quam ordinem dicit, emi prohibitum à simonia non excusatur. *Cap. non satis. 8. cap. cum in Ecclesia. 9. de simon. 2. dum.* Cum pupillis res suas absque auctoritate Tutoris vendere à jure interdicatur, non est in bona fide, qui aliquid à pupillo emit, non interveniente Tutoris auctoritate. *L. pro emptore. 2. §. 1. ff. pro emptor. 3. imm.* Emptor & possessor malæ fidei est, qui rem immobilem Ecclesiæ vel Monasterii sine juris solemnitatibus à Prælato emit. *Cap. 1. de reb. Eccles. non alienand. in 6.*

C A S U S.

*Ad utramque Regulam.*

**U**drlica Ducissa vidua supremo Aulæ Præfecto plenam dat rerum suarum administrationem. (A) Qui plures facit donationes (B) Juniori Prin-



Principi Prælatum in Ecclesia Metropolitanâ datis de more muneribus acquirit. (C) Filia natu majori Comitibus ditissimi, sed non ejusdem cum Ducissa conditionis matrimonium procurat. (D) à Prælato Monasterii fundum arci Ducali proximum & peruti-

lem excessivo pretio absque scitu & consensu conventus emit. (E) Parum versatus in Theologicis cum Principe hæretico, per quem maxima spes Ducalem elevandi Domum, Ducissæ suæ luadet matrimonium. (F)

RESOLUTIO.

(A) Hic Aulæ Præfectus mandatum cum libera, ut ajunt Juristæ, accepit, vi cujus etiam alienare potest. *Cap. qui ad agendum. 4. de procurat. in 6.*

(B) Licet Procurator Generaliscum libera alienare valeat, per *Reg. 81.* tamen donationes liberales facere nequit.

(C) Peccat Aulæ Præfectus contra utramque Regulam, contra *81.* quia in Generali concessione illicita non censetur concessa; contra *82.* quia contra Jura mercatur, unde bonam fidem habere non præsumitur.

(D) Hic contra *Reg. 81.* peccat, eum Ducissa ad contrahendum cum

inferioris conditionis Sponso matrimonium per Concessionem generalem mandatum dedisse non censetur.

(E) Offendit iterum utramque Regulam, *81am* quia excessivo emit pretio, quod vi generalis concessionis haud permissum esse videtur. *82dam* quia contra Jura prætermittis eorum solemnitatibus fundum mercatur.

(F) Rursus contra *Reg. 82.* impingit, matrimonium Hæretici contra Jura mercando, nec rusticitati venia est: quia matrimonium fidelis cum Hæretico aut infideli Jure naturali prohibitum esse dignoscitur. *Arg. L. venia. 2. C. de in Jus vocand.*



REGULA LXXXIII.

*Bona fides non patitur, ut semel exactum iterum exigatur.*

Quæres primo. Quis hujus Regulæ tenetur?

¶. Si unus vel plures summam debeant, & pro ea unus, vel omnes aut fide-

Bb 3 de-



de jussor plene satis fecerit, Creditor ab aliquo debitorum solutionem iterum bonâ fide exigere nequit. Ratio aperta est: cum id æquitati & justitiæ æqualitatem exigenti repugnet, unde dum idem bis solutum, tanquam indebite solutum restituendum est. Hæc *Regula* in pœnis quoque tenet; quia si quis pro delicto pœnam, delicti gravitatem adæquantem sustinuerit, ulterius puniendus non est, ne vindictivæ justitiæ limites excedantur.

*Quæres secundo. Quæ Regulæ limitatio?*

1<sup>o</sup>. *Regula* de debitis, quorum obligatio unicâ exactione & solutione exhaustitur, intelligenda est, hinc contraria solvuntur Exempla: 1<sup>mo</sup>. maritus uxori reddens debitum ad iteratam adstringitur solutionem, quia debitor manet, quamdiu matrimoniale durat vinculum.

2<sup>do</sup>. Episcopus ante annum parochialem visitans Ecclesiam, procuracionem accipit hoc anno rursus visitans procuracionis exigit solutionem, procuratio enim toties debetur, quoties Ecclesia visitatur. *Cap. cum Venerabilis. 21. de censib.*

3<sup>io</sup>. Rei æstimationem consecutus ab eo, qui dolo malo illam possidere desiit, v. g. à fure, qui rem ablatam

malâ fide vendidit, adhuc rem ipsam à possessore vindicare non prohibetur. *L. Stichum. 95. ff. de solution.* Ratio est: quia fur, qui rem meam possidere desiit, rei æstimationem præstando debitum pœnale ex delicto descendens solvit, quod à debito ex rei dominio, vel potius ex rei alienæ possessione est diversum, cum fur ex injusta acceptione, possessor autem ex re accepta solvere teneatur

4<sup>to</sup>. Titius Filiam maritatum constupravit, ex hoc delicto tribus videlicet filiæ, marito & Patri ad satisfacionem obligatur. *L. 1. ff. de injur.* tres enim læsit, ideoque uni satisfaciens pro delicto adæquatè non satisfecit.

5<sup>to</sup>. De interfectore Cardinalis ab Ecclesia pœnâ Ecclesiasticâ castigato dicitur in *Cap. fin. de pœnit. in 6.* per hoc quoque sæcularibus potestatibus non adimimus facultatem utendi legibus contra tales, quas adversus sacrilegos Catholici Principes ediderunt. Ac consequenter tale delictum duplici pœnâ punitur, & postquam delinquens pœnam solvit Ecclesiasticam, iterum pœnam à sæcularibus Judicibus infligendam sustinere cogitur. Ratio est: quia criminis atrocitas gravius, quam Judices Ecclesiastici dictare valent, aut solent, exigit supplicium.





## REGULA LXXXIV.

*Cum quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti.*

**Q**uæres 1<sup>mo</sup>. Quis hujus Regulæ sensus?

**R.** Is, cui aliquid simpliciter & principaliter ratione sui prohibitum est & illicitum viâ seu modo uno, ad id viâ seu modo altero non est admittendus. Ratio est: ne in legem fraus committatur; quando enim legislator aliquid simpliciter & ratione sui prohibet, illud in effectu fieri non vult, quocumque tandem fiat modo.

Quæres secundo. Quæ Regulæ Exempla?

**R.** 1<sup>mo</sup>. Ad Prælaturam electus ante confirmationem obtentam administrare prohibetur. *Cap. nosti. 9. Cap. qualiter. 17. de elect.* ideo etiam Titulo Oeconomi vel Procuratoris administrandi non habet facultatem. *Cap. avaritia. 5. de elect. in 6.*

2<sup>do</sup>. Clericus duo beneficia in Titulum habere nequit. *Cap. quia in tantum. 5. de prebend.* & ideo unum in Titulum, alterum in Commendam perpetuam retinere vel admittere prohibetur.

3<sup>io</sup>. Si materno Testamento Pater ab administratione bonorum liberis à Patria potestate solutis relictorum excluditur, eorum administrationi Titulo

Curatoris se se ingerere non potest. *L. scire. 21. ff. de tutor. & Curat. dat.*

Quæres tertio. Quæ Regulæ limitatio?

**R.** Regula non tenet, si prohibitio principaliter ad viam vel modum, non autem ad rem se habeat, dupliciter enim res prohiberi potest.

1<sup>mo</sup> Simpliciter & ratione sui, ut homicidium, furtum, perjurium &c.

2<sup>do</sup> Quoad viam sive modum, sic beneficium Ecclesiasticum per laicum, vel pro pecunia, vel re temporali concedi prohibetur. Qui vitio Natalium, aut alio Canonico laborat impedimento, Prælaturam per viam electionis obtinere non potest, res Ecclesiæ immobiles absque juris solemnitatibus non alienari præcipiuntur; quando igitur prohibitio non rem, sed viam seu modum principaliter respicit, quod unâ viâ prohibetur, aliâ obtineretur, sic Prælatus res Ecclesiæ non liberè; sed cum forma Juris alienare potest. *Cap. tua nuper. 8. de his que fiunt à Pralat.* Clerici bona intuitu Ecclesiæ acquisita per actum inter vivos, non per Testamentum in usus pios licitè expendunt. *Cap. ad hac. 8. cap. quia nos. 9. de testament.* Prælaturæ alligatus alteram dignitatem

per



per electionem, non tamen per postulationem adipisci prohibetur. *Cap. fin. de postulat. Pralat.* Qui non accusare iuravit, bene tamen denuntiat, qui petendo rem unâ actione repellitur, per ali-

am admittitur, sic deponens agens commodati rejicitur, agens verò depositi auditur. *Cap. examinata. 15. de Judic.*

## C A S U S.

*Ad utramque Regulam.*

**W**ilhelmina conjugata adulterium committit, propter quod à Iudice Ecclesiastico aliquot pondo ceræ punitur, coram Magistro quoque violentiarum centum imperiales contra Reg. 83. pendere coacta fuit. (A) Vir ejus sentiens se duplici gravari pœna, cum adulterii propalator fuisset, uxori suæ se nunquam deinceps de commisso adulterio eam accusaturum jurato promittit. (B) Interim Wilhelmina adulteri-

nîs jam assueta complexibus secundum committit adulterium, & metuens ne à viro accusetur, eundem blanditiis inducit, ut pro hac vice adulterium tegere interposito spondeat juramento. (C) Re tamen melius perpensa, cum fere nullam de Wilhelmina emendationis spem haberet, ipsam apud Judicem Ecclesiasticum denuntiare statuit, quod an propter Reg. 84. facere possit, dubitat. (D)

## R E S O L U T I O.

(A) **Q**uando crimen mixti, sive utriusque fori Sæcularis & Ecclesiastici, quale est adulterium, delinquens in utramque legem, civilem & Canonicam, committit injuriam, cum utriusque præcepta violare noscatur; ac per consequens se pœnis per utramque legem impositis obligasse censeatur, eò quod distinctæ sint Jurisdictiones. *Can. cum ad verum. 6. dist. 96.* aliàs etiam dum pœna per Judicem Ecclesiasticum non est sufficiens, nec commenturata culpæ, Judex sæcularis

idem delictum puniendi habet facultatem. *Arg. cap. fin. de pœnis. in 6.*

(B) Juramentum illicitum est, nec obligatorium, cum antea præbeat peccati, impanitatem ante criminis perpetrationem uxori promittendo. *Cap. quemadmodum 25. de Jurejur.*

(C) Juramentum hoc validum erat, ideoque ob ejus religionem adulteram, quatenus de thori separatione, suoque agebatur Judicio, accusare non poterat.

(D) Juramento tamen non obstante adul-



te adulteram denunciare valebat. *Cit. cap. quemadmodum §. fin. de Jurejur.*  
Quia accusationis & denuntiationis diversa ratio exigit, cum accusatio ad præ-

nam, denuntiatio ad agendam tendat pœnitentiam, quam de adulterio denuntiata, sustinere debet.



## REGULA LXXXV.

*Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur.*

**Q**uæres primo. Quis hujus Regulae sensus?

ꝛ. Contractus quoadea, quæ illorum substantiæ accedunt, à contrahentium voluntate & conventionione dependent, & ita obligant, quo modo inter eos mutuo consensu est conventum. Hinc Contractus jure subsistunt, & obligationem inducunt, quibus de re propria, humano Commercio subjecta, de majori vel minori quantitate aut qualitate, certo eventu, tempore, loco, modo, de aliquo dando vel accipiendo à paciscentibus convenitur. Ratio est: quia quilibet rerum suarum moderator est & arbiter, ac Contractui non reprobatas conditiones, modos, dies, locumque apponere potest, prout contrahentes, qui sibi legem dicunt, fieri voluerint.


Exempla sunt 1<sup>mo</sup>. in *Can. Eleutherius. 30. caus. 18. q. 2.* Conventio in-

ter Episcopum & fundatricem Ecclesiæ inita quoad oblationes & obventiones in festo ipsius Ecclesiæ præscribitur observanda. 2<sup>do</sup>. Quamvis depositarius deponenti solum de culpa lata & dolo teneatur, si tamen conventio interveniat, ut depositarius de culpa levi vel levissima, aut etiam de Calu fortuito obligetur, illa servanda est. *Cap. bona fides. 2. de deposit.*

Quæres secundo. Quæ Regulae limitatio?

ꝛ. Dummodo sint dispositiones honestæ & possibiles: quia pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibile de jure, vel de facto nullam obligationem inducit. *Cap. fin. de pact.* unde si Conventum, ne dolus præstetur, non valet, hoc enim bonæ fidei Judicio contrarium est. *L. Contractus. 23 ff. de reg. jur.*





# REGULA LXXXVI.

*Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.*

**Q**uæres. Quæ Regulæ aliàs ex terminis perspicuæ ratio ?

32. Quia damnum quasi pœna suum tenere authorem, nec ulterius progredi debet. *L. sancimus. 22. C. de pœn.* & sicut causæ effectus alteri non imputatur, ita damnum culpæ auctori, ex quo sequitur, est imputandum.

Exempla sunt 1mo in *Can. displices. 38. caus. 23. q. 4.* ubi reo imputatur, quod ad Judicem deducendus seipsum

laserit, ad terram graviter collidendo. 2do in *Cap. si Clericus 11. de præbend. in 6.* cum duo Beneficium essent expectantes, illi imputatur, quod præbendam vacantem non acceperit, qui eam petere negligenter omisit. 3tio. in *L. emptore. 8. C. de eviction.* si emptor re evictâ in Judicio non fuit, de evictione non agit contra venditorem, cum suâ culpa res evictâ videatur.

## C A S U S.

### *Ad utramque Regulam.*

**Z**averius Villæ elocationem sub hac suscipit conditione: ut ejus emolumentis liberè fruatur, & omnia onera tam realia quàm personalia sustineat, & ad casum fortuitum ac quodcûmque damnum villæ obvniens teneatur. (A) *Zaverius* tempore elocationis famulos Villæ Vicinæ fructus ex arboribus decerpentes in horto invenit, quos cum fervorum suorum adjutorio egregiè delumbavit, ad quod vindicandum omnes arbores nocte se-

quenti exciduntur. (B) Canes domesticos de nocte non ligavit, qui ad villam vicinam excurrentes omnes potcos occiderunt. (C) Cohors Militaris à *Zaverio* hospitium petit, cui cum durius *Zaverius* respondens portas clauderet, milites in furorem acti foribus extractis, obvnia quoque destruxerunt. (D) Ex agris Villæ vicinæ partem quandam suis agris successu adjecit; unde magnam sustinuit litem, & tandem succumbens in expensas



penas condemnatur. (E) Filios suos mittit, quod rescientes vicini repressaliis ulciscuntur. (F) Nocturno tempore vagari, ac ex hortis vicinorum fructus depradari per-

## RESOLUTIO.

(A) **D**E substantia locationis sunt res & merces, quibus contraria contrahentium voluntas derogare non potest, in presenti autem non est merces, quæ in contractu locationis est vel portio fructuum, vel certa pensio. Dicendum igitur, quod sit contractus innominatus, per quem datur alteri potestas liberè fruendi bonis erga onus periculum rei & casum fortuitum sustinendi.

(B) Si propter inimicitias Conductoris Vicini arbores exciderunt, aut rebus locatis damnum intulerunt, sibi, & non locatori Conductor damnum imputare debet per *Reg. 86. & L. si merces. 25. §. 4. ff. locat. conduct. L. damnum. 12. C. de locat. & conduct.*

(C) Negligentiæ suæ imputare, & vicino villico satisfacere debet, si Canes de nocte villam exire soliti pecoribus Vicinorum detrimentum causarunt.

(D) Eodem modo damna à militibus ob indiscretionem & rusticitatem suam illata resarcire tenetur.

(E) Expensas sibi & iniustitiæ suæ imputet, cum malâ fide rem alienam suæ adjunxerit, & temerariè litem sustinuerit.

(F) Detrimenta per Vicinorum repressalias facta sibi adscribat, cum illorum per nimiam in filiorum evagatione & nocturna grassatione conniventiam occasionem dedisse censetur.





# REGULA LXXXVII.

*Infamibus porta non pateant Dignitatum.*

**Q**uæres primò, Quis hujus Regulæ sensus ?

ꝛ. Personæ Juris aut facti infamiâ notatæ ad Dignitates & munia honorifica non sunt admittendæ. Ratio est: quia ex infamiâ probro in animis hominum nascitur contemptus, ita, ut ex promotione infamium ad Dignitates & honores, non tam honorentur infames, quàm infamentur honores, ideo Justinianus Imperator L. 2. C. de Dignitat. inquit: *neque famosis & notatis, & quos scelus aut vita turpitudine inquinat, & quos infamia ab honestorum cœtu segregat, Dignitatis porta patebunt.* Et rectè quidem, cum Spiritus S. per os sapientis dicat: *quis honorificabit ex honorantem animam suam.* Ecclesiast. 10. v. 32.

Quæres secundo, Quæ juris & facti dicitur infamia ?

ꝛ. Fama est existimatio, quam homines de aliquo habent, si sit existimatio boni, vel homines aliquem bonum communiter esse judicent, bona fama vocatur, si malum vel impium homines existiment, infamia nuncupatur. Hæc in juris & facti dividitur

infamiam. Juris infamia est, quæ Jure vel Canonico vel civili irrogatur, quod fit, quando Leges vel Canones aliquem infamem declarant, vel dignum, ut de illo mala habeatur existimatio, licet fortè apud viros bonos ejus opinio actu non fuerit gravata, quod dupliciter contingere potest: 1mo. Dum Lex vel Canon immediatè, seu non mediante Judicis Sententiâ aliquod illicitum notat infamiâ, & tunc ut incurratur infamia, non est necessaria Judicis Sententiâ, quamvis enim delictum per Judiciale Sententiam declaretur, ipso tamen facto, quo quis in tali delicto deprehenditur, est infamis, ut exercens lenocinium, in adulterio deprehensus &c. 2do. Infamia juris est, quando factum aliquod vel personam facientem non quidem immediatè Lex vel Canon, sed Judicis Sententiâ contra Canonem vel legem delinquentem notat infamiâ, ut si lex dicat: qui rapinam, furtum, injuriam vel dolum fecisse judicatus seu condemnatus fuerit, sit infamis. Huc infamia juris per quasi Sententiam reducitur, ut si quis de

crimi-



crimine infamante accusatus vel denuntiatus illud in Iudicio sit confessus, aut de eo convictus. Infamia facti est, dum quis apud bonos & graves viros malè audit, licet illi à Jure vel ex Legibus nulla infamia irrogetur.

Quæres *tertio*. An infamis extra locum diffamationis ad honorifica Officia promoveri valeat?

R. Infamis non solùm in loco, in quo infamia contracta, aut per sententiam est illata, verum nec in alio quovis loco promoveri potest. Ratio est :

sicut enim lepra sequitur leprosum quocunque ierit & sicut is, cui membrum mutilatum est, mutilum membrum ubique secum defert, & sicut excommunicatus in uno loco ubique est excommunicatus, ita sententia hominem infans (idè est de infamans facti) ubique locorum eum infamat, cum infamia personam afficiat, eamque velut individuus Comes subsequatur, unde testis in uno loco infamis in quocunque Iudicio justam patitur repulsam.









in 6. Item Clericus pro beneficio Ecclesiastico pecuniam vel aliud temporale Patrono vel Collatori ante præsentationem vel collationem offerens aut promittens non ut pretium, sed

ut purum donum gratuitum à Simoniaca pravitate non excusatur juxta propositionem 48. ab Innocent, XI. damnatam.

## C A S U S.

### *Ad utramque Regulam.*

**Z**elandus ex illustri Familia perditus Juvenis militiæ nomen dat, ex qua quia fugitivus, nomen ejus Berlini patibulo affigitur. (A) Utque sustentationem habeat, se feci hominum, quos Zichenos vocant, confociat. (B) Vitæ istius pertæsus, apud histrionem mutato nomine servitium assumit. (C) Postquam in hoc servitio plurima scelera, furta, adulteria &c. perpetrasset, & ob hæc in vincula conjectus ad furcam damnatus esset. (D) Fugit ex carcere in patriam reversus nomen familiaris domi assumit. Parentes de reditu filii, quem mortuum credebant, gaudentes, eidem ad sacros Ordines anhelanti in Ecclesia Metropolitana præbendam muneribus procurant. Ante la-

teros Ordines in confessione generali totam antea vitæ seriem Confessario exponit, qui angitur, an Zelandro, quod sit irregularis, ideoque S. Ordines suscipere non possit, exponere debeat (E) respondet pœnitens: quæ tibi confessus sum, fecit Zelandus, quod nomen assumpsi, ut familiæ parcerem, & esto Zelandus infamis sit infamia juris & facti, non tamen ego de tam illustri domo Comes. (F) Nihilominus Comes Ordines suscipit, in quibus exterius Angelicam vitam degit, revera tamen in antiquis sceleribus vivens: religiosis largas facit Eleemosynas, qui cum vacante Decanatu propter exterram virtutis speciem omnibus dilectum impensè commendare student. (G)

## R E S O L U T I O.

(A) **P**er sententiam mortis ob per-fugium in nomine ejus executioni mandatam juris incurrit infamiam, non enim illam nomini, sed personæ nomen tale gerenti, sive verum, sive falsum fuerit, infligitur.

(B) Per associationem cum Zichenis facti infamiam incurrit, quia omnes illi infamiam plurimorum criminum laborant, ob quam modò à Principibus territorialibus ubique ex-terminantur.

(C) Per exercitium apud Histrion-

nes



nes infamiam Juris ipso facto ante  
Judicis sententiam contraxit.

(D) Propter scelera plurima con-  
demnatus ad furiam infamiâ Juris &  
facti est notatus.

(E) Ideoque nec ad sacros Or-  
dines, nec ad præbendam in Eccle-  
sia Metropolitana promoveri potest,  
quamvis enim infamiam facti emen-  
datione vitæ valeat abolere, infami-  
am tamen Juris abstergere nequit.

(F) Hac Comitum responsio re-

probat per *Regulam* 88. legis si-  
quidem intentio est, ut tales per-  
sonæ sub quocunque nomine à di-  
gnitatibus arceantur.

(G) Demum per *Regulam* 87. ad  
speciem Angelus veluti infamis & si-  
moniacus ad Decanatum est indi-  
gnus, nec rerum omnium Condito-  
ri DEO, cujus oculi semper sunt  
aperti super facientes mala, renesque  
ac corda scrutatur, sed sibi ipsi mi-  
ser & calamitosus imponit.

Totius Operis

F I N I S.  
O. A. M. D. G.



INDEX